Volgens artikel 3 der wet van 2 November 1871 (*Staatsblad* n°. 118) gewaarmerkt.

DE MINISTER VAN BINNENLANDSCHE ZAKEN,

Mackay.

PRAEFATIO.

PRAEFATIO.

1. Ex Augustissimi Regis edicto d. d. XVII mensis Junii a^i^. MDCCCLXXXIV septimo, referente viro excellentissimo Consiliario Regio a rebus internis, cum visum esset: „codicem pharmaceuticum, qui inscribitur Pharmacopoea Neerlandica sive Nederlandsche Apotheek, Augustissimi Regis edicto d. d. XXXI mensis Januarii a^i^. MDCCCLXXI constitutum atque sub numero 202 in Acta publica relatum, hac subtiliore, quae nunc est, scientiae pervestigatione multis locis esse reprehensum" IXviri creati sunt, qui de Pharmacopoea Neerlandica supplenda aut, si res postularet, corrigenda ad Regem referrent.

In hunc numerum creati sunt:

v. d. C. A. J. A. Oudemans, professor Amstelaedamensis, praeses;
v. d. F. C. E. van Embden, pharmacopola Ultrajectinus, ab-actis;
v. d. J. Guil. Gunning, professor Amstelaedamensis:
v. d. G. D. L. Huet, professor Leidenis;
v. d. E. A. van der Burg, professor Leidensis;
v. d. B. J. Stokvis, professor Amstelaedamensis;
v. d. D. J. Coster, medicus Amstelaedamensis;
C. H. van Ankum, pharmacopola Groninganus;
Guil. Stoeder, professor Amstelaedamensis extraordinarius.

Qui cum omnes nomen dedissent, praeses collegas ad diem XXIV mensis Septembris a[i]. MDCCCLXXXIV ut primum convenirent convocavit.

2. Quo in conventu, postquam graviter disputatum est, jam tunc placuit, cum multo plures atque graviores essent causae cur Pharmacopoea corrigeretur quam suppleretur, e re esse ut quam exactissima cura emendaretur, adeo ut in novo opere condendo, quae tertia Codicis editio foret, elaborasse videremur.

3. Deinde agitari coeptum essentne praeterea rei pharmaceuticae periti consulendi, quid in pharmacopoea, qualis etiamtum manibus hominum versabatur, mutandum censerent, et quos de ea re adire placeret. Tandem in eam sententiam convenit, operi suscepto magnopere profuturum, si rei periti ad consilium adhiberentur, verum praestare sodalicia publica quam homines privatos adire.

Quae autem sodalicia universi consulenda putabant haec erant:

a. Societas ad excolendam artem pharmaceuticam;
b. Societas ad excolendam artem medicinam;
c. Consilia quibus cura rei medicinalis publice demandata est;
simul autem haec sodalicia humaniter roganda censuimus ut prospicerent necui pharmacopolo medicove explicandi quid aut mutatum aut additum vellet, facultas deesset, utque eorum optata atque desiderata, in concisas sententias redacta, cum nostro consilio intra constitutam diem communicanda curarent.

Quaestiones quae sodaliciis illis proponebantur in hunc modum conceptae erant:

„Quid, qua de causa, in Pharmacopoea mutandum censetis?"
„Quos titulos ex Pharmacopoea tollendos, quos addendos putatis?"

Petentibus nobis liberaliter est satisfactum (id quod grato

animo referimus) et ad constitutum tempus, qui fuit dies I mens. Februarii a[i]. MDCCCLXXXV, omnes epistulae quibus ad quaestiones nostras respondebatur, ad nos allatae erant.

Quae responsa religiosissime a nobis esse examinata, ita quidem ut primum universe cognoscerentur, deinde ad singulas quaestiones solvendas indentidem adhiberentur, vix est quod lectores moneamus.

4. Quamquam publice nobis negotium datum sentiebamus ut Pharmacopoeae tam Belgice quam Latine scriptae operam daremus, tamen num in rem esset bilinguem editionem parare, paulisper disceptatum est. Verum consultantibus nobis visum est non solum nihil obstare quominus ita fieret, sed etiam non sine aliquo incommodo alterutra lingua abstineri posse.

5. Quod autem iis qui ante nos Pharmacopoeam edendam curaverunt, Codex Latinus Nederlandico praelatus est, nobis contra visum est Nederlandicam condendam esse Pharmacopoeam, quae deinde in Latinum sermonem verteretur, Latinae igitur Nederlandicam praeferendam esse editionem. Neque enim eius rei causa latet; recenti lege et edictis de altioribus studiis cum non cautum sit ut medici et pharmaceutae Latine sciant, fieri non potuit quin plerique ejus linguae adeo rudes essent ut Codicem Latine scriptum jam non intellegerent.

6. In titulo Pharmacopoeae hoc novavimus; quod pro forma contracta „Neerlandica" auctore viro litterarum Latinarum peritissimo, plenam „Nederlandica" reposuimus.

7. In capitibus disponendis ordinem litterarum ut in ceteris servandum, ita in Simplicibus nonnihil turbandum censuimus. Singulis enim capitibus, quod eius fieri poterat, ea quibus eruditi utuntur, plantarum partium nomina praescripta sunt, eo consilio, ut continuo appareret, quae esset materiarum primitivarum natura quae dicitur morphologica.

8. In capitibus ad rem chemicam pertinentibus vulgares appellationes quantum poterat immutatas retineri utile visum est.

9. Antiquus mos, quo et in Latinis et in Nederlandicis editionibus nomina Latina semper primum locum tenent, ut optimus, ita nobis quoque probatus fuit. Tamen in editone Nederlandica nomina Belgica quantum posset addenda esse inter omnes constabat.

Synonymorum numerum, etsi quam maxime contrahi studebamus, tamen providendum erat nequi pharmacopolis de antiquis et obsoletis nominibus, si quae forte a popularibus vel adeo a medicis usurparentur, dubitandi locus esset.

10. In Simplicibus post plantarum nomina auctores quidem nominandos curavimus, sed familiam naturalem et patriam unde plantae medicinales prodirent, memorare supersedimus. Illis enim opus est ut ab erroribus praecaveatur, locus vero de regionibus et originibus in compendiis artis tractatur.

Simplicium definitiones incipiunt ab interpretatione tituli principalis, quam sequitur distincte concisa enumeratio proprietatum ac nonnumquam siquid praecipue ad explorandas medicamenti virtutes usui est.

Nonnulla Simplicia certa quadam copia principiorum efficacium temperata esse voluimus, quae temperationes qua ratione investigarentur, significavimus. Capita arctius contrahendi consilium majori nostrum parti immaturum visum est.

Etsi non esse huius loci intelligimus exponere quid in quoque Simplici eligendo secuti simus, tamen operae pretium videtur commemorare, unam quam in Codicem recepimus Corticis Chinae speciem, corticem Cinchonae succirubrae cultae, nos propterea ceteris praetulisse, quod hic et medicis re atque usu idoneus esset, et unus omnium de se praestare videretur, fore ut natura et compositione quam maxime sibi constaret.

11. Compositionum chemicarum nominibus etsi formulae chemicae non additae sunt, tamen substantiae quantum eius fieri potest chemice purae intelligendae sunt. Quotiescunque aliquantulum materiarum alienigenarum admittendum putavimus, quia aliter medicamentum parari non posset, declaravimus quibus reactionibus justus mensurae modus, ultra quem egredi non liceat, definiri possit.

Chemicalium definitiones incipere solent ab enumeratione quarundam proprietatum insigniorum. Hanc sequuntur reactiones nonnullae quas vocant indentitatis (quae ut majori nostrum parti satis fieret, aliquanto crebriores quam in Editione secunda adjectae sunt), denique leges puritatis quibus materias satisfacere oportet.

Chemicalia parandi praecepta non dedimus nisi ubi aut praeparandi ratio aliquid afferebat ad praeparati facultates, aut longis ambagibus opus fuisset ut de compositione constaret.

12. In Galenicis medicamentis describendis, sciendum est nos, superiorum Editorum vestigiis insistentes, eam plerumque viam tenuisse, ut rationes subigendi perpetua oratione ex ordine explicaremus neque ut enumerationem materiarum conficientium sequerentur praeparandi praecepta.

In calce capitulorum proprietates quibus medicamenta dignoscantur et leges puritatis enumeratae sunt, quibus subinde subiciuntur reactiones aliquot, unde adulterationes vulgatiores patefiant.

Ut Simplicia et Chemicalia, ita Galenica haud parvo numero praeceptorum de temperatione principiorum efficacium exploranda aucta sunt.

Simili ratione atque in Pharmacopoeae Nederlandicae Editione altera, ***Extracta***, ***Sirupos***, alia, parandi praecepta generalia dedimus; deinde in quasdam dispensandi formas, veluti ***Decocta***, ***Infusa***, ***Capsulas gelatinosas***, similia, praecepta posuimus; denique

telis antisepticis quae dicuntur vulgatioribus suus locus concessus est.

Praeparata nonnulla, ut iisdem atque in altera editione nominibus appellantur, ita principiis efficacibus aliter temperata traduntur, propterea quod omnes numeri ad mensuras gallicas sive decimales revocati sunt, simul ut cum finitimorum Pharmacopoeis nostra magis conveniret. Quo facto propius accessisse nobis videmur ad id, quod omnium votis expetendum est, ut tandem exsistat Codex pharmaceuticus omnium nationum communis.

Extracta narcotica semper *spirituosa* interpretanda sunt. Quoniam enim alia extracta narcotica jam exulare jussa sunt, nihil attinebat inter extracta aquosa et spiritosa discrimen observari.

Pulverum genera, tenuitate diversa, litteris et numeris distinximus quorum interpretationem suo loco proponemus.

13. Merces aliquot quae inter Simplicia vel Chemicalia cruda referri possunt, quibus proprias leges puritatis scribere non opus videbatur, in tabulam conjectae nomine tenus afferuntur.

14. Ne saepius idem dicendo obtunderemus, inter „praecepta generalia" quae dicuntur retulimus quemadmodum medicamenta servari oporteret, addita tabula, in qua ea medicamenta quae a luce defendenda sunt, proponuntur.

15. Paucissimis locis exceptis, in parandi praeceptis partes ponderis, non certae mensurae expressae sunt.

Grammatum subdivisionibus semper milligrammatum notas posuimus, quem morem viris medicis ut in receptis suis conscribendis teneant auctores sumus.

16. Doses maximae quibusdam medicamentis an essent denuo statuendae, magna fuit quaestio, medicis imprimis collegis plurima et gravissima contra dicentibus. Verumtamen major pars nostrum statuit, earum formularum maiorem esse utilitatem quam ut a pristina consuetudine discederetur. Numeros quibus doses illae maximae indicantur ut in titulis vasum promptuariorum adscribantur, vota facimus.

Ergo doses maximae et singulae et in dies singulos non solum in tabulam conlatae, verum etiam suis quaeque capitibus subscriptae sunt, ut et errores vitarentur et lectorum occupationibus parceretur.

Hae doses ad hominum adultorum usum accommodatae sunt.

17. Causae, cur medicamenta in altera codicis editione in duo genera dividerentur, unum quod in unoquoque pharmacopolio adesse necesse erat, alterum, quo carere licebat, eae nobis etiam nunc valere visae sunt; ergo in hac quoque editione medicamenta, quae in promptu habere non opus est, cruce (✚) insignita sunt.

18. Reagentium non solum tabulam conficiendam sed etiam temperationes definiendas existimavimus. Reagentibus quae in Pharmacopoea non tractantur, ubi res postulare videbatur, leges quaedam puritatis scriptae sunt: nonnunquam etiam quomodo pararentur traditum est. Cum Tabula Reagentium Tabula Liquorum volumetricorum coniuncta est.

19. Venia impetrata a viro excellentissimo consiliario regio a rebus internis, *Indices venenorum* A et B denuo recensiti sunt. Venena illa, non solum quae tabula B continentur (sive in armariis venenariis obseratis sive extra asservantur) sed etiam quae tabula A exhibet, proprio aliquo signo distinguenda esse censuimus; et his quidem *Crucem rubram*, venenis autem tabulae B *Crucem caeruleam* signum appingi visum est.

Venena tabulae B ut a ceteris secreta haberentur, quamquam pharmacopolis imperare noluimus, tamen facere non possumus quin quantopere hoc sit exoptandum, declaremus.

Itidem venia viri excellentissimi consiliarii regii a rebus internis recognovimus tabulam quae medicamenta continet, quorum medici qui rem pharmaceuticam attingunt, copiam habere debent, et Tabulam C, medicamenta continentem de quibus agit lex de arte pharmaceutica exercenda, d. d. I. mens. Jun. a^{i} MDCCCLXV § 30^{a}. (Acta publica n^{0}. 61).

Praeter has tabulae aliquot confectae vel elaboratae sunt quae in Pharmacopoeae volumen reciperentur, quarum tituli, in brevius contracti, infra scripti sunt.

I. Tabula materias continens quae in Pharmacopoea tantummodo nominantur nec describuntur.

II. Tabula Reagentia continens.

III. Tabula Liquores volumetricos continens.

IV. Tabula medicamentorum quae a luce defendi oportet.

V. Tabula in qua doses quae dicuntur maximae compositae sunt.

Ad vitae usum accomodatae sunt sequentes:

VI. Tabula medicamentorum quae in unoquoque Pharmacopolio praesto esse oportet.

VII. Tabula medicamentorum quae praesto haberi non opus est: unde in Pharmacopoea cruce (+) notata sunt.

VIII. Tabula indicans quae ratio intercedat inter pondera specifica et volumina alcoholis in *spiritu*.

IX. Tabula in qua exponitur, quantum nonnullis medicamentis aquae vel spiritus fortioris opus est ut solvantur.

X. Tabula quae dicitur saturationis.

XI. Tabula indicans quae ratio intercedat inter pondera specifica et quantitatis acidi vel alcali quae in nonnullis Acidis et solutionibus alcalinis continentur.

XII. Tabula in qua compendia nominum propriorum explicantur.

20. Ut superioribus Editoribus, ita nobis deliberantibus essetne Index Antidotorum operi inserendus, ob easdem causas satius visum est tabulam qua pharmacopola, absente medico auxilio arcessitus, doceretur quid contra quodque venificium dispensandum esset, non addere; quippe quae sine vario ambitu verborum parvi esset pretii, quo tamen onerata ab huius Pharmacopaeae proposito aliena esset. Sed cum pleraque veneficia etiam nunc arsenici ope perpetrari soleant, placuit in Pharmacopoeam ea medicamenta recipi, quae pharmacopolae componenda sunt ut iis veneficiis medeatur.

21. Relinquitur ut ostendamus nos, dum mandatum exsequamur, nobis persuasisse, id quod superioribus quoque Editoribus evenit, magnopere desiderari Consilium aliquod perpetuum Regis mandatu constitutum, qui viri assiduam curam ponant in medicamentis, prout quodque novissimum commendetur, conquirendis et aestimandis, ut ex eo numero certis intervallis probatissima quaeque, legibus puritatis rite adstricta, in pharmacopoeam adlegant. Quo facto fore ut et medicorum et pharmaceutarum et aegrotantium commodis prospiciatur, atque ut proximi Editores, si qui forte in quarta editione condenda desudaturi sint, haud parvo momento adjuventur.

Quae hucusque scripsimus, ea aegre ferimus quod per iniquitatem fortunae approbari non potuerunt auctoritate et prudentia conlegae nostri, viri desideratissimi C. H. van Ankum.

Qui cum diu et graviter aegrotaret, neque tum aderat cum de hac praefatione agebatur, et decessit de vita eo ipso die qui fuit decernendi summus, d. XIX mensis Octobris anni MDCCCLXXXVIII.

Ut igitur pium animum testemur, facere non possumus, quin beatissimi viri mortem debitis laudibus prosequamur. Quo quis fuit unquam cum ad omnem laborem paratior, tum ad hoc negotiosum officium sollertior? Qui quidem, jam ingravescente senectute cum minoribus natu cura ac diligentia certabat, neque quem unquam suscepti oneris poenitebat, quin religiosissime perferret. Certe nos vidimus per quatuor annos continuos nunquam intermisso studio operam navantem ut nova Pharmacopoeae editio talis prodiret qualis ab huius aetatis eruditis optari debebat; neque est quisquam nostrum, quin, si viris peritis ac sapientibus opus nostrum commendaturi sumus, magnam partem huiusce operae studio consiliis id deberi fateatur. Erga viri constantissimi modestiam et doctrinam grata semper memoria colemus.

d. Amstelaedami d. XIX mens. Oct. a[i]. MDCCCLXXXVIII.

C. A. J. A. Oudemans, *Praeses.*
F. C. E. van Embden, *Ab Actis.*

PRAECEPTA GENERALIA.

1. Quae Medicamenta adesse in pharmacopolio non opus est, eorum nomina cruce (✠) notata sunt.

2. Medicamenta, tam cetera, quam quae in cella penaria reposita sunt, ita asservari oportet, ut quam maxime potest praecaveatur ne aëre, luce, humoribus corrumpantur.

Medicamenta volatilia, quaeque partes volatiles vel mutabiliores continent, servanda sunt in vasis bene obturatis, sive vitreis sive metallicis.

Medicamenta valde hygroscopica serventur in lagenis siccatoriis praeterquam si inde degenerent.

3. Nisi aliter praescriptum est, plantarum particulae, quae ad paranda Medicamenta adhibentur, semper sicca esse intelliguntur.

4. „Partium" vocabulo significantur *partes ponderis.*

5. Ubicunque „aqua" ita imperatur, ut nihil amplius additum sit, *aqua destillata* adhibenda est.

6. Numeri, quibus caloris gradus indicantur, a scala Celsiana legendi sunt. Ubi gradus non sunt indicati, calor circumfusi aëris intelligendus est, praeterquam si de solutionibus et de

pondere specifico agitur, quae semper ad gradum quintumdecimum referenda sunt.

7. Numerorum, quibus pondus specificum indicatur, unitas est aqua caloris gradu 4°.

8. Cum *maceratur*, liquoris calor sit inter gradus 15^m et 25^m,
cum *digeritur*, inter 35^m et 45^m,
cum *infunditur*, inter 90^m et 98^m.

9. Ad solutionum temperationes explicandas cum scriptum est (1=1), (1=10), (1=50), similia, hoc significatur, materiae solvendae partes singulas admisceri partibus 1, 9, 49 (atque sic deinceps) eius liquoris, in quo solvatur.

10. Trutinae, et ad paranda et ad exploranda Medicamenta, adhibendae sunt haece:

Trutinae per milligrammata, quibus quod pondus maximum conceditur pensandum, inter grammata 10 et 50 continetur (A).

Trutinae per grammata, quibus quod pondus maximum conceditur pensandum, inter grammata 100 et 250 (B) vel inter grammata 250 et 1000 (C) continetur.

Has trutinas *sensibiles* simul et *accuratas* esse oportet.

Sensibiles sunt, si ligula, parvo momento inclinata, pro singulis longitudinis decimetris eorumve subdivisionibus, non minus quam binos millimetros a centro discedit.

Momentum autem in *trutinis* A non oneratis, pondus unius milligrammatis, aut, si sunt oneratae, pondus 5 milligrammatum ne excedat;

in *trutinis* B non oneratis, pondus 20 milligrammatum, aut si sunt oneratae, 50 milligrammatum ne excedat;

in *trutinis* C non oneratis, pondus 50 milligrammatum aut, si sunt oneratae, 200 milligrammatum ne excdat;

Num sint accuratae, duabus rebus cognoscitur:

1°. quod ligulae apex in eo signo insidet quod trutinam non oneratam libratam esse ostendit;

2°. quod trutina oneratissima, cum pondera in utraque lance sedes inter se permutant, e statu librato non movetur.

11. Ad liquorum guttarum pondera definienda consultandum est LEBAIGUII stillatorium, unde aqua defluente guttae cadunt, quae vicenae unius grammatis pondus habent.

+ Acetanilidum.

Antifebrinum.

Crystalla nitida, coloris et odoris expertia, quae caloris gradu fere 120° liquescunt; quodsi vehementius calefiunt, plane avolant nec tamen dissolvuntur. In chloroformo, in aethere, in spiritus fortioris partibus 4, facile solvuntur; aquae autem frigidae fere 200 partes requirunt ut solvantur. In 18 partibus aquae, quae sensim ad ebullitionem calefiunt, primum liquescunt, deinde tota solvuntur.

Solutionem Acetanilidi aquosam frigidam saturatam neutralem esse oportet. Eadem si per exiguum chloretum ferricum colore flavo tincta erit, calefaciendo colorem trahet e fucso rubrum, eumque cum refrixerit, servabit.

Acetanilidi milligrammata 100, si cum acidi hydrochlorici centimetro cubico 1 paulisper calefiunt, limpidam praebent solutionem, quae, centimetris cubicis aquae 3 et phenoli liquidi gutta 1 additis, per hypochloritem calcicum turbabitur et colorem trahet e violaceo rubrum, qui color, addita excedente portione ammoniae, in caeruleum transibit.

Acetanilidi milligrammata 500, solita temperatura cum acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 5 una conquassata, postquam filtrata erunt, liquorem praebebunt qui, si phenoli liquidi gutta 1 primum, deinde hypochlorite calcico et ammonia subigetur, coloris mutationes quas commemoravimus non exhibebit.

Acetas aethylicus.

Aether aceticus.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris grati, plane volatilis, inflammabilis, ponderis specifici 0.900 ad 0.904, caloris gradu 74° ad 76° ebulliens.

Acetas aethylicus, cum evaporatur, odorem alienum ne spargat neve maculam rubram in charta exploratoria caerulea relinquat. Cum aequo volumine aquae conquassatus ne plus quam decima parte voluminis deminuatur.

Acetas aethylicus cum aequo volumine acidi sulfurici mixturam praebeat limpidam, coloris expertem.

Acetas kalicus.

Pulvis foliaceus, nitidus vel granulosus, hygroscopicus, qui, admixto acido sulfurico, odorem spargit acidi acetici, nec tamen coloratur.

Acetas kalicus in spiritus fortioris parte 1.4 et aquae parte 0.4 totus solvitur. Solutio aquosa sit neutralis vel leviter alcalina, addita autem acidi tartarici excedente portione praecipitatum deponat crystallinum album.

Solutio Acetatis kalici (1 = 50) aqua hydrosulfurata aut sulfohydrate ammonico nequaquam turbetur neve coloretur, quodsi acido nitrico diluto acidula facta erit, nitrate argentico vel chloreto barytico non nisi levissime coloretur aut turbetur.

Acetas plumbicus.

Saccharum Saturni.

Crystalla pellucida vel paulum fatiscentia, coloris expertia, quae acidum aceticum redolent.

Acetas plumbicus cum aqua solutionem leviter turbidam praebere solet, cui si paululum acidi acetici addes, limpida fiet. Ex eadem si omne plumbum acido sulfurico diluto praecipitatum erit, liquor filtratus per ammoniae excedentem portionem ne coloretur neve turbetur, ne addito quidem sulfohydrate ammonico.

Solutio 1 grammatis Acetatis plumbici, per gaz hydrosulfuricum omni plumbo liberata, cum evaporata erit, non nisi tenuissima vestigia materiae solidae relinquat.

Doses maximae singnlae milligrammatum 50.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 300.

+ Acetum Digitalis.

R. **Foliorum Digitalis** minutim concisorum partes decem 10

Has cum

Acidi acetici diluti partibus nonaginta 90
Spiritus fortioris partibus decem. 10

per dies 8 in lagena obturata macera, crebro conquassans. Liquorem exprime et cum desederit filtra.

Liquor limpidus, e subfusco flavus, saporis acidi et peramari.

Doses maximae singulae grammatum 2.
Doses maximae in singulos dies grammatum 6.

+ Acetum Scillae.

R. **Bulbi Scillae** minutim concisi partes decem. . . . 10

Has cum

Acidi acetici diluti partibus nonaginta 90
Spiritus fortioris partibus decem 10

per dies 8 in lagena obturata macera, saepius conquassans. Liquorem leni pressione colatum cum desederit filtra.

Liquor limpidus, subflavus, saporis primum acidi, deinde amari.

+ Acidum aceticum.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris acidi pungentis, cuius grammata 10, cum evaporata erunt, ne quid ponderabile relinquant.

Acidum aceticum, carbonate natrico saturatum, odorem empyreumaticum ne spargat.

Acidum aceticum 4 partibus aquae dilutum ne aut nitrate argentico aut chloreto barytico aut aqua hydrosulfurata turbetur neve coloretur. Huius Acidi diluti centimetri cubici 20 cum centimetro cubico 1 permanganatis volumetrici commixti, 5 minutis interpositis ne palluerint.

Acidi acetici grammata 6 ut saturentur, requirunt centimetros cubicos 30 alcali volumetrici, quod respondet partibus centesimis Acidi 30.

Acidum aceticum dilutum.

Acetum.

R.	**Acidi acetici** partes viginti	20
	Aquae partes octoginta	80

Has misce.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris acidi; sit paene totus volatilis.

Acidum aceticum dilutum, carbonate natrico saturatum, odorem empyreumaticum ne spargat.

Iisdem legibus puritatis satisfaciat atque Acidum aceticum.

Acidi acetici diluti grammata 20 ut saturentur, requirunt centimetros cubicos 20 alcali volumetrici, quod respondet partibus centesimis Acidi 6.

Acidum arsenicosum.

Frusta alba, porcellanea, nonnunquam nucleo nitido praedita, sive pulvis ex iisdem paratus.

Acidum arsenicosum in tubo sicco calefactum, abit in sublimatum crystallinum coloris expers. In aqua quamvis tarde, tamen totum solvitur, facilius autem si acidum hydrochloricum addideris. Aqua hydrosulfurata ex ea solutione acida praecipitatum flavum secernit quod in ammonia totum solvitur.

Solutio in acido hydrochlorico diluto facta, gaz hydrosulfurico saturata, cum filtrata et evaporata erit, ex Acido arsenicoso adhibito ne plus quam 2 partes millesimas relinquat.

Acidi arsenicosi milligrammata 200, in aquae centimetris cubicis 40 cum 1 grammate hydrocarbonatis natrici calefaciendo

soluta, ubi refrixerint, bicarbonatis natrici grammate 1 et solutionis amyli guttis aliquot additis, centimetros cubicos 40 ad 40.4 iodii volumetrici requirunt ut caeruleum colorem trahant.

Doses maximae singulae milligrammatum 5.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 10.

+ Acidum benzoicum.

Flores Benzoës.

Ex Benzoë sublimatione paratum sit.

Crystalla gracilia, prismatica sive lamellaria, nitida, Benzoën redolentia; dum recens parata, coloris sunt expertia, sed sensim flavescunt.

Acidum benzoicum cum calefit, liquescit et in vapores pungentes abit, cum interea paululum carbonis relinquit, qui totus comburatur.

Si cum aquae partibus 16 una calefit, totum solvatur, partim liquescens.

Acidum benzoicum in 3 partibus spiritus fortioris solvitur, in aqua aegre, in aethere et in chloroformo facile solvitur.

Aquae centimetros cubicos 5 si cum 100 milligrammatis Acidi benzoici una coxeris, ac deinde ubi refrixerint, centimetrum cubicum 1 permanganatis volumetrici admiscueris, color violaceus paene statim evanescat.

Acidum benzoicum si cum dimidia parte permanganatis kalici et cum paucis guttis aquae conteritur, odorem olei amygdalarum amararum ne gignat.

Acidum benzoicum aqua humectatum, admixto oxydo cuprico, flammam non fulgentem colore caeruleo aut viridi ne inficiat. Si cum hydrate calcico calefit, odorem ammoniae ne spargat.

Acidum boricum.

Lamellae albae, nitidae, sive pulvis albus. Acidum boricum calore facile liquescit, deinde in magnum turgescit, iterumque liquescit; postremo cum refrigescit, in materiam vitream coalescit.

Acidum boricum flammam non fulgentem viridi colore inficit.

Acidum boricum in aqua difficulter solvitur, facilius autem in aqua fervida et in spiritu fortiore calido. Solutio aquosa chartam exploratoriam caeruleam leviter rubefacit, eademque, si paululum acidi hydrochlorici diluti admiscueris, chartam curcumae dum siccescit colore e rubro fusco inficit.

Solutio Acidi borici (1 = 50) chloreto barytico aut nitrate argentico aut aqua hydrosulfurata ne turbetur neve coloretur.

Acidum citricum.

Crystalla coloris expertia, pellucida, quae dum calefiunt, liquescunt, tota comburuntur, in aqua et in spiritu fortiore facile solvuntur.

Solutio aquosa, addita aquae calcis excedente portione, solita quidem temperatura limpida manet, sed dum coquitur praecipitatum deponit, quod, dum refrigescit, totum aut fere totum evanescit.

Pulvis Acidi citrici, aqua hydrosulfurata perfusus, ne coloretur, ne addita quidem ammoniae excedente portione.

Solutio Acidi citrici in aqua facta (1 = 10) chloreto barytico aut oxalate ammonico ne statim turbetur.

Pulveris Acidi citrici gramma 1 cum 1 grammate acetatis kalici et 3 grammatis aquae limpidam praebeat solutionem.

+ Acidum hydrochloricum.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1.126; cum peroxydo manganico una calefactus chlorium gignat.

Sit plane volatilis.

Acidum hydrochloricum, ammonia paene saturata, aqua hydrosulfurata ne turbetur neve coloretur, ne addita quidem ammoniae excedente portione.

Acidum hydrochloricum, quincuplici aquae volumine dilutum, iodeto kalico cum amylo ne caeruleum colorem trahat, neve turbetur chloreto barytico, ne addita quidem aqua bromata.

Acidi hydrochlorici centimetros cubicos 3, cum aquae centimetris cubicis 6 mixtos, tum aqua bromata leviter flavos redditos, deinde per solutionem phenoli decoloratos, si in tubum vitreum, in quo frustula aliquot zinci, infunderis, deinde os tubi laxo glomere gossypii et charta bibula clauseris, postremo mediam chartam nitrate argentico (1 = 2) tinxeris, hunc locum, ne quadrante quidem horae intermisso, flavescere ne deinde aqua addita statim nigrescere oportet.

Acidi hydrochlorici grammata 5 saturabunt centimetros cubicos 34.2 alcali volumetrici, quod respondet partibus centesimis Acidi 25.

Acidum hydrochloricum dilutum.

R. **Acidi hydrochlorici** 1
Aquae, utriusque partem unam 1

Has misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1.062, qui iisdem legibus puritatis satisfaciat atque Acidum hydrochloricum.

Huius liquoris grammata 10 saturabunt centimetros cubicos 34.2 alcali volumetrici, quod respondet partibus centesimis Acidi 12.5.

+ Acidum nitricum.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1.317 qui cuprum solvit cum interea gaz e fusco rubrum emittit.

Sit plane volatile.

Acidum nitricum, dum ammonia liquida supersaturatur, ne turbetur neve coloretur, ne si sulfohydras ammonicus quidem additur; idem quadruplo volumine aquae dilutum, nitrate barytico aut nitrate argentico ne turbetur.

Chloroformum cum Acido nitrico, quod aequo volumine aquae dilueris, una conquassatum, ne coloretur, ne addita quidem aqua hydrosulfurata.

Acidi nitrici grammata 5 saturabunt centimetros cubicos 39.6 alcali volumetrici, quod respondet partibus centesimis Acidi 50.

Acidum nitricum dilutum.

R.	**Acidi nitrici** partes duas.	2
	Aquae partes tres	3

Has misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1.12, qui iisdem legibus puritatis satisfaciat atque Acidum nitricum.

Acidi nitrici diluti grammata 10 saturabunt centimetros cubicos 31.7 alcali volumetrici, quod respondet partibus centesimis Acidi 20.

Acidum phosphoricum.

Liquor limpidus, coloris et odoris expers, ponderis specifici 1.153, qui postquam ammonia neutralis factus erit, addito nitrate argentico praecipitatum flavum deponet, quod et in acido nitrico et in ammonia solubile est.

Acidum phosphoricum, indico leviter caeruleum factum, eum colorem calefaciendo ne amittat. Triplici volumine aquae dilutum ne aqua hydrosulfurata neve statim chloreto barytico coloretur aut turbetur, nec magis nitrate argentico, ne si una quidem calefiunt. Excedente portione ammoniae ne turbetur neve coloretur, ne addito quidem ammonio sulfurato.

Acidi phosphorici centimetri cubici 5, cum aequo volumine acidi sulfurici diluti commixti, si zinco subiguntur eo modo quo in acido hydrochlorico praescriptum est, eosdem atque illud se praebeant nitrati argentico (1 = 2).

Acidi phosphorici grammata 5, phenolphtaleino indicatore, centimetros cubicos 25.5 alcali volumetrici saturabunt, quod respondet partibus centesimis Acidi 25.

Acidum salicylicum.

Crystalla coloris expertia, levissima, tenuissima, nitida, saporis primum dulcis, postea vero stringentis; caloris gradu fere 160° liquescunt; vehementius autem calefacta, sine residuo in sublimatum coloris expers transeunt.

Acidum salicylicum solubile est in aquae frigidae partibus 600, in aquae fervidae partibus 14, in spiritus fortioris partibus 2.5 et in aetheris partibus 2.1; cum acidi sulfurici partibus 6 solutionem praebet coloris expertem vel leviter coloratam.

Solutio milligrammatum 10 Acidi salicylici in aqua facta, addito chloreto ferrico, colorem trahit e violaceo rubrum.

Acidum salicylicum ne redoleat phenolum.

Solutio in spiritu fortiore facta (1 = 10), si paululum acidi nitrici diluti eo admiscueris, nitrate argentico ne turbetur.

+ Acidum sulfuricum.

Liquor limpidus, coloris expers, oleaceus, ponderis specifici 1.837 ad 1.840, qui dum calefit totus evanescit; idem aqua dilutus salibus baryticis abunde praecipitatur.

Cum sulfas ferrosus (1 = 3) caute super Acidum ponitur, superficies utriusque liquoris contermina ne coloretur, neve cum 2 centimetri cubici Acidi sulfurici et stratum superfusum acidi hydrochlorici diluti, aliquantulum sulfitis natrici solutum habentis, una calefiunt ad caloris gradum 100um.

Acidum sulfuricum, cum quincuplici volumine spiritus fortioris commixtum, limpidum remaneat.

Acidum sulfuricum, cum quincuplici volumine aquae commixtum, aqua hydrosulfurata, aut nitrate argentico ne coloretur neve praecipitatum deponat; idem si cum ammonia supersaturatur, ne turbetur neve coloretur, ne addito quidem sulfohydrate ammonico.

Solutioni 3 centimetrorum cubicorum Acidi sulfurici in quincuplici aquae volumine factae si, cum refrixerit, addideris guttam 1 permanganatis volumetrici, ea mixtura ne statim colorem amittat.

Mixtura ex Acidi sulfurici centimetris cubicis 2 et aquae centimetris cubicis 10 composita, si eodem modo quo in acido hydrochlorico praescriptum est zinco subigitur, solutioni nitratis argentici (1 = 2) eandem se praebeat atque acidum hydrochloricum.

Acidi sulfurici grammata 2, aquae centimetris cubicis 25 diluta, ut saturentur, requirunt centimetros cubicos 38.4 ad 39.2 alcali volumetrici, quod respondet partibus centesimis Acidi 94 ad 96.

Acidum sulfuricum dilutum.

R. **Acidi sulfurici** partem unam. 1
Aquae partes quinque 5

Has misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1.111 ad 1.114; dum calefit, totus evanescit; salibus baryticis abunde praecipitatur.

Acidum sulfuricum dilutum, cui indicum colorem vix caeruleum induxerit, eum colorem calore ne amittat. Cum acido hydrochlorico et parva quantitate sulfitis natrici una coctum ne coloretur.

Acidum sulfuricum dilutum iisdem legibus puritatis satisfaciat atque Acidum sulfuricum.

Acidi sulfurici diluti grammata 12 ut saturentur, requirunt centimetros cubicos 38.4 ad 39.2 alcali volumetrici, quod respondet partibus centesimis Acidi 15.7 ad 16.

Acidum tartaricum.

Crystalla coloris expertia, pellucida, non hygroscopica; in balneo aquae si calefiunt, pellucida permanent.

Acidum tartaricum calore liquescit; cum comburitur non nisi exiguum cineris relinquit.

Acidum tartaricum in aquae parte 0.8 et in spiritus fortioris partibus 2.5 solubile est. Solutio aquosa (1 = 2), admixto aequo volumine solutionis acetatis kalici (1 = 3), statim praecipitatum praebet album, crystallinum.

Solutio aquosa (1 = 10) aqua hydrosulfurata, aut sulfate calcico ne coloretur neve turbetur, neve statim chloreto barytico; neve postquam ammonia saturata erit, aut oxalate ammonico, aut ammonio sulfurato. Aqua calcis in ea non ante praecipitatum gignat quam excedente eius portione addita, quod praecipitatum in chloreto ammonico solubile sit.

Adeps suillus.

Axungia.

Adipem Suis Scrofae recentem in frustula concisum in balneo aquae calefac et adipem eliquatum per intervalla cola.

Sit albus et cum liquefactus est plane limpidus, coloris expers, odoris non rancidi.

Spiritus fortior cum Adipe liquefacto conquassatus et, postquam refrixit cum aequo aquae volumine commixtus, chartam exploratoriam caeruleam ne rubefaciat.

Aether.

Liquor limpidus, coloris expers, admodum volatilis, odoris peculiaris, ponderis specifici 0.722 ad 0.725, caloris gradu fere 36° ebulliens, vapores emittens qui perfacile inflammantur.

Aether in aqua quidem aegre solvitur, sed in spiritu fortiore et in chloroformo quavis proportione solubilis est. Solita temperatura totus avolat, odorem alienum non spargens.

Aether cum aequo volumine aquae caloris gradu 15° conquassatus, ne plus quam decima parte voluminis deminuatur. Aqua conquassata reactionem acidam ne praebeat; eadem, addito iodeto kalico cum amylo, colorem caeruleum ne trahat.

Acidi sulfurici centimeter cubicus 1 cum aequo volumine Aetheris caute commixtus, statim praebeat solutionem limpidam, coloris expertem.

Aetheris centimetri cubici 2 si cum 6 guttis chloreti hydrargyrici et 6 centimetris cubicis aquae barytae commiscentur, praecipitatum flavum secernatur quod conquassando non evanescat. Mixtura filtratione depurata liquorem praebeat qui, addito sulfohydrate ammonico, ne si calefit quidem, coloretur, neve turbetur.

Aether cum Spiritu.

Liquor anodynus Hoffmanni.

R.	**Aetheris**	1
	Spiritus fortioris, utriusque partem unam.	1

Has misce.

Liquor limpidus, coloris expers, qui aetherem vehementer redolet, ponderis specifici 0.775 ad 0.782, qui cum evaporatur nihil relinquit, nec spargit odorem alienum.

Reactionem acidam ne praebeat. Cum aequo volumine aquae caloris gradu 15° conquassatus ne plus quam 6 partibus decimis voluminis deminuatur.

Ceterum iisdem legibus satisfaciat quae Aetheri constitutae sunt.

Aloë.

Succus e foliis, quae ferunt variae species Capenses generis Aloë L. elicitus et calore induratus.

Massa obscure fusca aut paene nigricans, nitens, odoris peculiaris, saporis ingrate amari, quae facile in frusta conchata minora nitoris vitrei et in assulas acutas pellucidas coloris subrubri vel clare fusci diffringitur.

Cum tota exsiccata et contrita est, pulverem flavum praebet, qui, in balneo aquae calefactus, nec concrescat neque colorem mutet. In spiritu diluto et in spiritu fortiore calido plane solvitur, in aethere et in chloroformo non item nisi minima quadam parte.

Aloë in decemplici pondere aquae fervidae soluta, solutione refrigerata, ne plus quam dimidiam partem secernat.

Ammonia liquida.

Ammonia.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris valde penetrantis, qui chartam exploratoriam rubram supra extentam caeruleo colore inficit. Pondus specificum est 0.958 ad 0.960.

Ammonia, cum evaporatur, nihil relinquat.

Ammoniae centimetri cubici 2 si cum 3 centimetris cubicis acidi sulfurici diluti commiscentur, ne effervescant neve odorem alienum spargant. Hic liquor 3 guttas permanganatis volumetrici ne statim decoloret.

Ammonia acido acetico supersaturata, ne aut chloreto barytico, aut oxalate ammonico turbetur, non magis quam nitrate argentico, postquam paululum acidi nitrici addideris. Aqua hydrosulfurata neve coloretur neve turbetur.

Ammoniae grammata 5 ut saturentur requirunt centimetros cubicos 30.3 ad 28.5 acidi volumetrici, quod respondet partibus centesimis fere 10.

Ammoniacum.

Succus gummiresinosus quem praebet Dorema Ammoniacum Don, ex caule eliquatus et in aëre induratus.

Grana distincta vel leviter conglutinata, lutescentia vel subfusca, intus albicantia, dura, calore manus mollescentia, frigore fragiliora. Odor, praesertim admoto calore, peculiaris, haud gratus; sapor amarus, subacer, ingrate aromaticus. Ammoniacum in pulverem redactum, addito hypochlorite calcico, colorem pulchre rubrum trahit.

Frusta maiora aequaliter fusca vel obscuriora reiciantur.

Ad usum Ammoniacum, supra oxydum calcicum siccatum aut sub tempestate gelida fragile factum, in pulverem redigatur et per cribrum a quisquiliis purgetur.

Amylum Solani.

Amylum tuberum quae praebet Solanum tuberosum L. Pulvis albissimus, odoris fere nullius et saporis expers, inter digitos crepitans.

Antidotum Arsenici.

R **Solutionis Chloreti ferrici** partes sexaginta 60

Has dilue

Aquae partibus ducentis sexaginta. 260

R. **Oxydi magnesici** partes quatuordecim 14

in mixturam aequalem conquassatas cum

Aquae partibus ducentis sexaginta. 260

Utriusque liquoris centimetros cubicos fere 500 in promptu habe juxta positos et a luce prohibitos. Cum Antidotum Arsenici requiritur, utriusque liquoris aequum volumen conquassatum commisce, mixta tamdiu conquassa, dum puls tenuis aequalis fiat.

+ Antipyrinum.

Crystalla parva, amara, coloris expertia, quae caloris gradu fere 110° liquescunt; quodsi vehementius calefiunt, dissolvuntur et tota comburuntur.

Antipyrinum cum aquae parte 1 et spiritus fortioris partibus 2 solutiones praebet neutrales coloris expertes. In chloroformo facile solvitur, difficilius autem in aethere.

Solutio aquosa (1 = 200) tannino et aqua bromata praecipitatur, iodeto kalico-hydrargyrico autem tum demum, cum

acidi sulfurici diluti aliquantulum addideris. Eadem cum nitrite kalico et exiguo acido acetico commixta, mox viridescit. Quodsi quadruplici volumine aquae diluta erit, per chloretum ferricum rubefiat, qui color, addito acido sulfurico diluto, evanescet.

Antipyrinum aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Aquae aromaticae.

Aquae aromaticae manifesto redoleant et sapiant materies primitivas vel olea aetherea ex quibus paratae sint.

Coloris sint expertes; partes mucilaginosas ne contineant neve aqua hydrosulfurata colorentur.

+ Aqua Aurantiorum.

Aqua Corticum Aurantiorum.

R. **Solutionis ex Olei Aurantiorum una parte et Spiritus fortioris novem partibus paratae** partes decem . . 10

Aquae partes nongentas nonaginta. 990

Misce conquassans.

Aqua Cinnamomi.

R. **Corticis Cinnamomi in pulverem grossum redacti** partes centum. 100

Aquae communis quantum opus erit.

Hinc destilla partes mille 1000

+ Aqua Citri.

℞.	**Solutionis ex Olei Citri una parte et Spiritus fortioris novem partibus paratae** partes decem . . .	10
	Aquae partes nongentas nonaginta	990

Misce conquassans.

Aqua communis.

Aqua vel pluvia, vel ex aquaeductibus publicis, vel ex alio fonte hausta, haec ultima dummodo ne plus quam 500 milligrammata materiae solidae in litro contineat, et dum 100 eius centimetri cubici, quibus centimetrum cubicum 1 solutionis hydratis natrici admiscueris — quae mixtura, nisi per se limpida sit, subsidendo limpida fiat — centimetro cubico 1 liquoris Nessleri ne colorentur.

Aqua communis his semper legibus satisfaciat:

Sit limpida, neutralis, coloris et odoris expers, ac ne si calefit quidem redoleat.

Aquae centimetri cubici 100 cum acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 et centimetro cubico 1 permanganatis volumetrici commixti, si per 3 minutas coquuntur, ne decolorentur.

Aquae centimetri cubici 1000, cum chloreto ammonico et ammonia commixti, ac deinde filtrati, si per acidum aceticum acidi facti erunt, cyaneto kalico-ferroso ne turbentur, ne dimidia quidem parte horae intermissa.

Aquae centimetri cubici 1000, cum acidi acetici centimetris cubicis 10 commixti, si gaz acido hydrosulfurico saturantur, colorem ne trahant.

Aqua destillata.

Aqua destillata sit limpida, neutralis, coloris saporis odoris expers; eius centimetra cubica 10, cum evaporantur, nihil relinquant.

Nitrate argentico, chloreto barytico, sulfohydrate ammonico, liquore Nessleri, ne turbetur neve coloretur.

Aquae destillatae centimetri cubici 100 cum centimetris cubicis 10 acidi sulfurici diluti et 5 guttis permanganatis volumetrici commixti, si per 3 minutas coquuntur, ne decolorentur.

Aquae destillatae centimetri cubici 1000 cum 10 centimetris cubicis acidi acetici commixti, si gaz acido hydrosulfurico saturantur, ne colorentur.

Quotiescunque iniectiones subcutaneae parandae sunt, Aqua paulo ante coquatur.

Aqua Foeniculi.

R. **Solutionis ex Olei Foeniculi una parte et Spiritus fortioris novem partibus paratae** partes viginti. . 20
Aquae partes nongentas octoginta 980

Misce conquassans.

Aqua Laurocerasi.

R. **Foliorum Laurocerasi recentium** partes mille . . . 1000
Aquae communis quantum opus erit.

Hinc destilla partes circiter 1000.

Postquam oleum secretum crebro conquassando in destillato solutum erit, quantum ibi insit Acidi hydrocyanici explora, ac deinde destillatum, si opus erit, tanto aquae volumine

dilue, ut 1000 partes 1 partem Acidi hydrocyanici contineant.

Virtutem Aquae Laurocerasi hac ratione explora:

Huius Aquae grammata 10 misce cum solutione hydratis natrici guttis 6 et 2 guttis solutionis chloreti natrici (10 %). Huic mixturae, assidue agitando, tantum adde argenti volumetrici decimalis donec levis turbatio albida iam non evanescat, quod ut fiat requiruntur centimetri cubici 18.5 liquoris probatorii.

Aqua Laurocerasi sit limpida, graviter olens. Materie cyanica remota, odorem Olei Laurocerasi etiam manifestum esse oportet.

Si Aqua Amygdalarum amararum requiritur, Aquam Laurocerasi dispensari licebit.

Doses maximae singulae grammata 4.

Doses maximae in singulos dies grammata 16.

Aqua Menthae piperitae.

R.	**Solutionis ex Olei Menthae piperitae una parte et Spiritus fortioris novem partibus paratae** partes decem	10
	Aquae partes nongentas nonaginta	990

Misce conquassans.

+ Aqua phagedaenica.

R.	**Chloreti hydrargyrici** partem unam	1
	Solutionis Hydratis calcici partes ducentas quinquaginta	250

Has misce.

+ Aqua Picis.

R. **Picis liquidae** partes quinquaginta. 50
Aquae fervidae partes mille. 1000

Per dimidiam horae partem fortiter conquassatas per diem sine requiescere, deinde filtra.

Sit liquor limpidus, e fusco flavus, Picem liquidam fortiter redolens.

Aqua Plumbi.

Aqua Goulardi.

R **Solutionis Acetatis plumbici basici** partem unam. . 1
Aquae partes viginti 20

Has misce.

Sit mixtura non nisi paululum turbida.

+ Aqua Rosarum.

R. **Solutionis filtratae ex Olei Rosarum una parte et Spiritus fortioris undeviginti partibus paratae** partes quatuor. 4
Aquae partes nongentas nonaginta sex 996

Misce conquassans.

Argentum foliatum.

Laminae tenuissimae, colore et nitore argenti puri.

In acido nitrico solvuntur in liquorem limpidum, qui calefaciendo decoloratur, ex quo acidum hydrochloricum praecipitatum secernit album, floccosum, quod in ammonia facile solvitur, in acido nitrico non item.

Asa foetida.

Succus gummiresinosus quem praebent Ferula Scorodosma Benth. et Hook., Ferula Narthex Boiss. et fortasse aliae quoque generis Ferula L. species, ex radicibus incisis eliquatus et in aëre induratus.

Grana distincta vel conglutinata aut frusta maiora coloris ex flavo fusci, intus in fractura recenti albidi, mox autem purpurascentis, postremo fuscescentis. Admoto calore mollescunt digitisque adhaerent, frigore fragiliora fiunt. Odor vehementer alliaceus, penetrans, persistens; sapor acri-amaricans.

Asa foetida combusta ne plus quam 20 partes centesimas cineris relinquat.

Massae aequaliter e fusco nigrescentes, odoris exigui, vel lapillis aliisve sordibus inquinatae, rejiciantur.

Ad usum Asa foetida, supra oxydum calcicum siccata aut sub tempestate gelida fragilis facta, in pulverem redigatur et per cribrum quisquiliis purgetur.

Balsamum Copaivae.

Succus quem praebent Copaifera officinalis L., C. guianensis Desf., C. coriacea Mart., C. Langsdorffii Desf. et fortasse aliae generis Copaifera L. species, e truncis vulneratis eliquatus.

Liquor limpidus, tenue vel spisse fluens, flavus vel ex flavo subfuscus, aut non aut levissime fluorescens, odoris peculiaris aromatici et saporis amaricantis, constanter acris.

In balneo aquae calefactus Balsamum Copaivae terebinthinam ne redoleat et, oleo volatili omni expulso, resinam relinquat post refrigerationem duram et fragilem.

Balsamum peruvianum.

Succus quem praebet Toluifera Pereirae Baill., e trunco partim deglupto torrendo elicitus.

Liquor e nigro fuscus, in stratis tenuibus limpide pellucidus, tactu unguinosus neque adhaerens, in aëre non siccescens, odoris grati vanillacei aut benzoici, saporis peracris, subamari, ponderis specifici 1.137 ad 1.145.

Balsamum peruvianum in balneo aquae calefactum odorem terebinthinae aut balsami copaivae aut styracis ne exhaleat, neve quidquam ponderis amittat.

+ Balsamum tolutanum.

Succus quem praebet Toluifera Balsamum L., ex trunco vulnerato eliquatus et induratus.

Massa e fusco rubra, quae iam modico calore mollescit atque in pulverem flavescentem odoris suavis benzoici et saporis mitis aromatici conteri potest.

+ Balsamum Vitae Hoffmanni.

Mixtura oleoso-balsamica.

R.	**Olei Cinnamomi**	5
	Olei Citri	5
	Olei Lavandulae, singulorum partes quinque . . .	5
	Olei Caryophyllorum	8
	Olei Macidis, utriusque partes octo	8
	Balsami peruviani partes novem	9
	Spiritus fortioris partes nongentas sexaginta . . .	960

Misce conquassans et post aliquot dies filtra.

+ Benzoas ferricus.

R. **Benzoatis natrici** partes quinque 5

Has solve in

Aquae partibus viginti quinque. 25

Solutioni limpidae adde

Solutionis Chloreti ferrici partes quatuor 4

quas ante dilueris

Aquae partibus quadraginta. 40

Praecipitatum collige et aqua destillata ablue donec aqua defluens nitrate argentico iam fere non turbetur; tum exsicca.

Pulvis coloris carnosi, odoris et saporis expers; calore liquescit, et in carbonem transit cum interea vapores inflammabiles emittit.

Quod oxydi ferrici ex combustione supererit, id fere aequet partes centesimas 20 salis sicci.

+ Benzoas natricus.

Pulvis albus, granulosus, odoris expers aut leviter acidum benzoicum redolens; calore liquescit, quodsi vehementius uritur, in carbonem transit, qui carbo acido aliquo perfusus effervescit, flammamque non fulgentem forti colore flavo inficit.

Benzoas natricus in spiritu fortiore vix solvitur; cum aquae parte 1.8 solutionem praebet neutralem aut leviter alcalinam.

Solutio aquosa ($1 = 20$) his legibus satisfaciat:

Acidum hydrochloricum dilutum ex eo crystalla secernat quae prorsus evanescunt dum liquor cum idonea quantitate aetheris conquassatur.

Eiusdem solutionis centimetris cubicis 3 si centimetrum cubicum 1 acidi nitrici addideris, et crystalla inde orta per spiritus fortioris centimetros cubicos 4 solveris, is liquor ni-

trate argentico non nisi leviter opalinus fiat atque nitrate barytico ne statim turbetur.

+ Benzoë.

Succus resinosus quem praebet Styrax Benzoin Dryand., ex trunco vulnerato eliquatus et in aëre induratus.

Massa e cano vel e rubro subfusca, saepe foraminosa, facile friabilis, per quam grana vel glebulae lactei coloris dispersa sunt. Odor, praesertim cum calefit, vanillaceus.

Benzoë maximam partem in spiritu fortiore leni calore solvatur, quisquiliis quae forte inerunt exceptis; quae solutio cum aqua commixta liquorem praebet lacteum reactionis acidae, resina secedente.

Ad Acidum benzoicum parandum adhibeatur Benzoë quod acido cinnamomico careat.

Biboras natricus.

Borax.

Frusta coloris expertia, dura, crystallina, quae paulatim fatiscunt.

Calore liquescunt, deinde in magnum turgescunt cum interea aquam exsudant; quodsi diutius calefient, in materiam pellucidam vitream transibunt, quae flammam non fulgentem colore flavo inficit.

In aqua fervida facile solvuntur, in spiritu fortiore non item. Solutio aquosa per acidum hydrochloricum acida facta chartam exploratoriam curcumae, dum siccescit, fusco colore inficit.

Solutio aquosa (1 = 50) per acidum nitricum leviter acida facta, nitrate barytico ne statim turbetur, eademque addito nitrate argentico tantummodo opalina fiat, neve aqua hydrosulfurata mutetur.

Bicarbonas natricus.

Pulvis albus sive crusta alba, crystallina, ex quibus per calorem aqua et acidum carbonicum expelluntur, quaeque flammam non fulgentem colore flavo constanti statim inficiunt.

Bicarbonas natricus in aquae partibus 12 solubilis est, in spiritu fortiore non item.

Solutio grammatis 1 Bicarbonatis natrici in aquae partibus 15 facta, si 3 centimetris cubicis chloreti hydrargyrici aucta erit, intra 5 minutas praecipitatum rubicundum ne deponat.

Bicarbonatis natrici gramma 1 in 10 centimetris cubicis acidi sulfurici diluti solutum, si zinco subigitur eodem modo atque in acido hydrochlorico praescriptum est, solutioni nitratis argentici (1 = 2) idem se praebeat atque acidum hydrochloricum.

Bicarbonas natricus calefactus odorem ammoniae ne spargat; idem in excedente portione acidi acetici solutus, liquorem praebeat qui aqua hydrosulfurata ne coloretur neve turbetur.

Solutio aquosa (1 = 100) per acidum nitricum acida facta nitrate barytico aut nitrate argentico ne statim turbetur.

+ Bolus alba.

Argilla.

Pulvis qui maximam partem ex silicate aluminico aqua gravido consistit.

Est albus, odoris expers, saporis perexigui.

Ne arenam contineat neve acidis effervescat.

Brometum ammonicum.

Pulvis albus, crystallinus, odoris expers, hygroscopicus, calore evanescens, nec tamen liquescens, in aquae quidem parte 1.5 solubilis, difficile vero in spiritu fortiore.

Solutione hydratis natrici perfusus, odorem spargit ammoniae. Huius Salis solutio (1 = 20), cui aliquid aquae chloratae admixtum sit, et chloroformum si una conquassantur, chloroformum colorem trahit ex flavo rubrum.

Brometum ammonicum chartam exploratoriam caeruleam humectatam ne statim rubefaciat.

Solutio aquosa (1 = 20) chloreto barytico ne statim turbetur, neve acido sulfurico diluto coloretur, nec statim nec si solutionem amyli et nitritis kalici aliquantulum admiscueris.

Solutio milligrammatum 300 Brometi ammonici sicci in 10 centimetris cubicis aquae facta, si chromate kalico leviter tincta erit, argenti volumetrici centimetros cubicos ne minus quam 30.6 neve plus quam 31.4 requirat ut rubefiat.

Brometum kalicum.

Crystalla coloris expertia, nitida, in aquae quidem parte 1.8 solubilia, aegre autem in spiritu fortiore; flammam non fulgentem colore violaceo statim inficiunt.

Huius Salis solutio (1 = 20), cui paululum aquae chloratae additum sit, et chloroformum si una conquassantur, chloroformum colorem trahit e flavo rubrum.

Crystalla chartam exploratoriam rubram humectatam ne statim caeruleo colore inficiant.

Solutio aquosa (1 = 20) chloreto barytico ne statim turbetur, neve acido sulfurico diluto coloretur, nec statim, nec si solutionem amyli et nitritis kalici aliquantulum admiscueris.

Solutio milligrammatum 300 Brometi kalici sicci in aquae centimetris cubicis 10 facta, si chromate kalico leviter tincta erit, argenti volumetrici centimetros cubicos ne minus quam 25 neve plus quam 25.7 requirat ut rubefiat.

Brometum natricum.

Pulvis albus, granulosus, valde hygroscopicus, in aquae quidem parte 1.2 solubilis, aegre autem in spiritu fortiore.

Calore liquescit, flammamque non fulgentem colore flavo forti statim inficit.

Huius Salis solutio (1 = 20) cui paululum aquae chloratae additum sit, et chloroformum si una conquassantur, chloroformum colorem trahit e flavo rubrum.

Pulvis chartam exploratoriam rubram humectatam ne statim colore caeruleo inficiat.

Solutio aquosa (1 = 2), addita acidi tartarici excedente portione, praecipitatum crystallinum ne deponat.

Solutio aquosa (1 = 20) chloreto barytico ne statim turbetur, neve acido sulfurico diluto coloretur, nec statim, nec si solutionem amyli et nitritis kalici aliquantulum addideris.

Solutio milligrammatum 300 Salis sicci in aquae centimetris cubicis 10 facta, si chromate kalico leviter tincta erit, argenti volumetrici centimetros cubicos ne minus quam 29 neve plus quam 29.7 requirat ut rubefiat.

Brometi natrici partes 100, cum calefiunt, ne minus quam 95 partes relinquant.

+ Bulbus Scillae.

Laminae e tunicis mediis bulborum quos praebet Urginea maritima Baker excisae et siccatae.

Millimetros circiter 3 crassae, e subflavo albae, saporis nauseoso-amari, valde hygroscopicae.

Camphora.

Stearoptenon destillatione cum aqua paratum e ligno quod praebet Cinnamomum Camphora Nees et Eberm., deinde sublmatione depuratum.

Massa coloris expers, pellucida, fragilis, crystallina, quae iam in lagenis, in quibus servatur, partim in vapores abit et parietes lagenarum crystallis niditis obducit. Odor aromaticus, peculiaris, penetrans; sapor suburens, amaro-aromaticus, postremo refrigerans. In aethere, in spiritu fortiore, in chloroformo facile solvitur.

+ Camphora monobromata.

Crystalla coloris expertia, pellucida, nitida, acubus similia, odoris camphoracei, quae flamma fuliginosa comburuntur nec quidquam relinquunt.

Calore liquescunt in liquorem, caloris gradu fere 270° ebullientem.

Crystalla in aethere, in chloroformo et in benzolo facile quidem, difficillime autem in spiritu fortiore, at in aqua omnino non solvuntur.

Camphora monobromata nullo colore solvitur in acido sulfurico, ex quo tamen, si aqua diluetur, rursus integra secernetur.

Solutio in spiritu fortiore facta chartam exploratoriam caeruleam humectatam ne decoloret; eademque, cum acido acetico et zinco una calefacta, si duplici volumine aquae diluitur, tum filtratur, deinde cum acido nitrico diluto commiscetur, liquorem praebeat, ex quo nitras argenticus praecipitatum ex flavo album secernat; quod praecipitatum in carbonate ammonico ne solvitur, quodque, addita aqua chlorata, chloroformum, quod una conquassatur, colore e flavo rubro inficit.

+ Cantharides.

Coleoptera quae vocantur Lytta vesicatoria Fabr.

Colore aureo viridi fulgentia, centimetros 1.5 ad 3 longa, millimetros 6 ad 8 lata.

Nequaquam corrosa sint.

Doses maximae singulae milligrammata 50.
Doses maximae in singulos dies milligrammata 150.

+ Cantharidinum.

Laminae sive aculae crystallinae, coloris et odoris expertes, nitidae, quae caloris gradu 210° liquescunt, quodsi vehementius calefiunt, in sublimatum transeunt.

Cantharidinum in aqua fere non solvitur, at in spiritu fortiore fervido solubile est, item facillime in chloroformo et in aethere. Hae solutiones chartam exploratoriam caeruleam non inficiunt. In solutione hydratis natrici diluta facile solvitur, ex qua tamen solutione rursus secernetur, ubi acido hydrochlorico saturata erit.

Cantharidinum in acido sulfurico et in acido nitrico calefacto nullo colore solvitur; ex quibus solutionibus rursus secernetur, si aqua diluentur.

Capsulae gelatinosae.

Capsulae gelatinosae dicuntur involucra, quae maximam partem e Gelatina constant, quibus involvantur medicamenta, quorum saporem odoremve sentiri nolumus.

Ratio compositionis varietur pro medicamentis, quae in iis condantur.

Mixturae utiles erunt haecce:

I.

Gelatinae pars una.	1
Aquae partes duae	2

ad Capsulas Aethere aut Pice liquida implendas.

II.

Gelatinae partes tres	3
Aquae partes sex	6
Glycerini pars una.	1

ad Capsulas Oleis volatilibus vel Extractis aethereis implendas.

III.

Gelatinae pars una	1
Aquae partes duae	2
Glycerini partes duae	2

pro Capsulis ratione maioribus, exempli gratia Oleo Jecoris Aselli aut Oleo Ricini implendis.

Ad parandas capsulas mixturam ante paratam leni igne calefac, in eoque liquore merge modulum metallicum, sphaerae vel olivae consimilem, manubrio instructum et oleo tenuiter oblitum; stratum tenue, quod in eo adhaeserit, cum satis concreverit, detrahe.

Capsulae ita formatae medicamento impleantur; os eadem solutione gelatinosa obturetur.

+ Capsulae cum Balsamo Copaivae.

Hae Capsulae parantur e mixtura quae inter „Capsulas gelatinosas" commemorata est secundo loco. Singulae contineant milligrammata 500 Balsami Copaivae, nisi aliter praescriptum erit.

+ Carbo Ligni.

Pulvis niger, siccus, levis, odoris et saporis expers, qui ex Carbone Ligni calore paratur. In tubo calefactus vapores empyreumaticos ne emittat; sine fumo aut flamma comburatur, neve plus quam 2 partes centesimas cineris relinquat.

Aqua si cum Carbone Ligni una coquitur, ne coloretur, neve reactionem aut acidam aut valde alcalinam praebeat.

+ Carbonas ammonicus.

Sesquicarbonas ammonicus.

Crusta sive frusta crystallina, dura, ammoniam valde redolentia, alba, quae extrinsecus in pulverem album transeunt Acido hydrochlorico perfusa effervescunt, calore evanescunt, in aquae partibus 4 5-ve solubilia sunt.

Solutio aquosa ($1 = 20$), per acidum aceticum acida facta, addito chloreto barytico aut aqua hydrosulfurata, ne turbetur neve coloretur; quodsi aliquantulum acidi nitrici addideris, per nitratem argenticum vix opalina fiat.

Carbonas calcicus.

Chemica ratione paratus sit.

Pulvis minutus, albissimus, ex crystallis totus consistens, qui addito acido acetico diluto effervescit et liquorem praebet coloris expertem, qui per oxalatem ammonicum praecipitatum album secernit.

Carbonas calcicus chartam exploratoriam curcumae humectatam ne decoloret.

Solutio aquosa per acidum nitricum dilutum facta (1 = 50) nitrate barytico ne statim turbetur; eademque, addito nitrate argentico, vix opalina fiat. Ammonia ne turbetur neve coloretur, ne addito quidem sulfohydrate ammonico. Quodsi cum excedente portione carbonatis ammonici cocta ac deinde refrigerata et filtrata erit, phosphate natrico ne turbetur.

Si Creta praeparata requiretur, Carbonatem calcicum dispensari licebit.

Carbonas kalicus.

Pulvis albus, granulosus, hygroscopicus, per acidum hydrochloricum dilutum fortiter effervescens; flammam non fulgentem colore inficit paulisper flavo, qui deinde constanter violaceus erit.

Cum 1 parte aquae limpidum praebet liquorem, ex quo acidum sulfuricum dilutum gaz inodorum expellit.

Solutio aquosa (1 = 5), acido hydrochlorico diluto supersaturata, limpidum praebeat liquorem, qui aqua hydrosulfurata non immutetur, ne addita quidem excedente portione ammoniae.

Solutio aquosa (1 = 20) per acidum nitricum dilutum acida facta, ne aut nitrate barytico aut nitrate argentico statim turbetur.

Solutio aquosa (1 = 10), si cum solutione hydratis natrici et pulveribus ferri et zinci commixtis una calefit, odorem ammoniae ne gignat; quodsi cum guttis aliquot sulfatis ferrosi una cocta atque per acidum hydrochloricum acida facta erit, ne trahat colorem viridem neve caeruleum.

Carbonatis kalici grammata 2, ut saturentur, requirunt non minus quam 27.5 centimetros cubicos acidi volumetrici, quod respondet partibus centesimis Carbonatis kalici puri 95.

+ Carbonas lithicus.

Pulvis albus, levis, calore liquescens, ac deinde dum refrigescit, in crystalla coalescens. Flammam non fulgentem colore coccineo inficit.

Carbonas lithicus cum aquae frigidae partibus 75 alcalinum praebet liquorem, qui dum coquitur turbidus fit, ac deinde dum refrigescit, turbidulus permanet.

Solutio aquosa per acidum aceticum facta (1=50) limpida est et coloris expers. Quodsi cocta erit, ne statim turbetur excedente portione aquae barytae; cum autem nitratem argenticum, admixto acido nitrico diluto, addideris, tantummodo opalina fiat. Aqua hydrosulfurata ne turbetur, neve coloretur; neve ammoniae excedente portione, ne addito quidem oxalate ammonico aut sulfohydrate ammonico.

Carbonatis lithici milligrammata 200 in 1 grammate acidi hydrochlorici soluta, cum evaporata erunt, id quod remanserit in 2 grammatis spiritus fortioris paene totum sit solubile.

Salis sicci gramma 1, ut saturetur, requirit centimetros cubicos 26 ad 27 acidi volumetrici, quod respondet partibus centesimis Carbonatis lithici puri 96.2 ad 99.9.

Carbonas magnesicus.

Magnesia alba.

Frusta alba levissima, plerumque quadrata, quae facile conteruntur, sive pulvis albus, levissimus.

Carbonas magnesicus in acido hydrochlorico diluto effervescendo celeriter solvitur, quo facto exsistit liquor limpidus sive levissime opalinus, qui, si ammonia supersaturatus erit, per phosphatem natricum praecipitatum deponit.

Aqua ubi cum Carbonate magnesico cocta ac deinde filtrata erit, reactionem praebeat non nisi levissime alcalinam, et cum evaporatur, vix quicquam relinquat.

Solutio aquosa per acidum aceticum facta (1 = 50) chloreto barytico ne statim turbetur; quodsi paululum acidi nitrici diluti addideris, per nitratem argenticum tantum opalina fiat; aqua hydrosulfurata autem ne turbetur neve coloretur. Chloreto ammonico addito si ammonia supersaturatur, limpidus exsistat liquor, qui oxalate ammonico ne statim turbetur, neve immutetur sulfohydrate ammonico.

Carbonas natricus.

Crystalla pellucida, coloris expertia, quae in aëre fatiscunt, calore liquescunt, flammam non fulgentem statim colore flavo constanti inficiunt.

Carbonas natricus in aquae frigidae parte 1.6 solvitur, item in aquae fervidae parte 0.25.

Solutio aquosa (1 = 10) acido hydrochlorico supersaturata, dum coquitur, limpida permaneat, etiamsi ammoniae excedentem portionem addideris. Solutionem acidam aut ammonia supersaturatam aqua hydrosulfurata ne coloret neve turbet.

Solutio aquosa (1 = 50) per acidum nitricum dilutum leviter

acida facta, ne nitrate barytico neve nitrate argentico statim turbetur.

Carbonatis natrici grammata 2 in 10 centimetris cubicis acidi sulfurici diluti soluta, si zinco subiguntur eo modo quo in acido hydrochlorico praescriptum est, nitrati argentico (1 = 2) eadem se praebeant atque acidum hydrochloricum.

Carbonatis natrici grammata 5 ut saturentur, requirunt non minus quam 35 centimetros cubicos acidi volumetrici, quod respondet partibus centesimis Carbonatis natrici puri 98.

+ Carbonas plumbicus.

Cerussa.

Pulvis minutus, albus, gravis, in aqua non solubilis; at in acido nitrico diluto et in acido acetico diluto effervescendo paene totus solvitur.

Solutio in acido nitrico diluto facta coloris sit expers; eademque ubi per gaz hydrosulfuricum plumbo liberata ac deinde filtrata erit, liquorem praebeat qui, cum evaporatur, vix quicquam relinquat.

Carrageen.

Thallus quem praebent Chondrus crispus Lyngb. et Gigartina mammillosa Ag.

Non maior manu, divisus in lacinias planas vel paululum canaliculatas, quae dum siccae sunt intricantur. Est porro Carrageen cartilaginosus, pallide vel ex fusco lutescens, odoris peculiaris, exigui, saporis mucilaginosi. In aqua fit turgidus, lubricus, mollis.

+ Castoreum.

Materies quam in duobus folliculis sub arcu pubis inclusam habet Castor Fiber L. var. americanus.

Castoreum est satis durum, paene resinosum, in fractura nitidum, membranulis intertextum, ex rubro fuscum vel paulum flavidum aut ex fusco nigrum. Odor peculiaris, manifestus; sapor amarus, acer, subaromaticus.

Pleni folliculi sint sicci, oblongo-clavati, compressi, rugosi, quorum tunicae ambae exteriores arcte cohaereant, nec nisi aegerrime divelli possint.

Ad usum Castoreum a membranulis purgetur.

+ Catechu.

Extractum e ligno quod praebent Acacia Catechu WILLD. et Acacia Suma KURZ.

Massae lateriformes vel irregulares, foliis involutae et persectae, ex atro fuscae, passim clariores, porulosae, fragiles, in fractura nitidiusculae. Odor nullus; sapor adstringens, subamarus, postremo subdulcis.

Solutio in aquae fervidae partibus 15, ubi refrixerit, partes centesimas solutas ne minus quam 80 contineat. Catechu combustum ne plus quam 6 partes centesimas cineris relinquat.

Cera flava.

Massa flava e favis quos praebet Apis mellifica L.

Calore manus mollescit, frigore fracturam granulosam, opacam, non crystallinam praebet. Odorem mellis spargit peculiarem. Pond. spec. 0.956 ad 0.967.

Cum pondere undecimplici chloroformi leniter colefacta, solutionem praebeat limpidam. Grammata 1 Cerae et 3 natrii carbonici cum 10 centimetris cubicis aquae concocta, liquorem praebent, qui cum refrigescit leviter tantum opalinus fiat. Gramma 1 volumini quincuplici solutionis spirituosae hydratis natrici admixtum, cum calefit, totum solvatur.

+ Cetaceum.

Spermaceti.

Pars solida purgata a ceteris quam in cavis subcutaneis capitis inclusa habet Physeter macrocephalus L.

Massa albissima, nitida, subdiaphana, tactu pinguiuscula, mollis, in fractura lamelloso-crystallina, odoris peculiaris, exigui, saporis subfatui.

Cum pondere quadragintuplici spiritus fortioris una coctum, Cetaceum plane solvatur in liquorem reactionis neutralis, qui refrigeratus et filtratus, cum aqua commixtus, nonnisi leviter turbetur.

+ Charta antasthmatica.

R. **Foliorum Belladonnae** 1
Foliorum Digitalis 1
Foliorum Salviae 1
Foliorum Stramonii, singulorum partem unam . . 1

Concisas, infunde

Aqua communi ad colaturam partium quadraginta. 40

In hoc liquore solve

Nitratis kalici partes sex 6

Liquore filtrato imbue folia chartae bibulae albae; hanc exsicca et aequabiliter humecta mixtura

Tincturae Benzoës partis unius	. . . .	1
Spiritus fortioris partium quatuor	. . . .	4

Siccatam divide in segmenta centimetros 10 lata, 15 alta.

+ Charta epispastica.

R. **Pulveris Cantharidum** partes decem	. . . .	10
Olei Olivarum partes viginti sex	. . . .	26
Cerae flavae partes quinquaginta	. . . .	50
Cetacei partes duodeviginti	. . . .	18
Terebinthinae partes sex	. . . .	6

Pulverem digere cum oleo per horas 12; filtra et residuum parvis quantitatibus olei olivarum perfunde, donec pondus olei indicatum collectum erit. Cum hoc misce cetera corpora, prius leni calore in balneo aquae liquefacta.

Per superficiem huius mixturae subsidendo purgatae segmenta chartae nitentis crassioris ita duc, ut una tantum eorum pagina strato mixturae quam maxime aequali obtegatur.

Cum unguentum refrixerit, segmenta divide in particulas centimetros 6 latas, 9 altas.

+ Charta sinapizata.

R. **Seminis Sinapis** quantum opus erit.

Contunde et per aetherem petrolei oleo pingui libera in apparatu depulsorio, dein calore gradum 30^m non superante exsicca atque in pulverem (B. 30) redige.

Pulverem misce cum pondere triplici solutionis Guttae-Perchae in Chloroformo factae $(1 = 10)$, eiusque mixturae stratum aequale celeriter extende supra chartam nitentem rudiorem; hoc eodem pulvere consperge et leviga.

Chartam ita comparatam prudenter sicca, pulverem superfluum excute, chartam disseca in segmenta centimetros 8 lata, 12 alta.

Singula segmenta, chartae pondere detracto, pondus habeant grammatis circiter 1.5.

Aqua humectata statim exhaleat odorem olei volatilis Sinapis.

Chloras kalicus.

Crystalla nitida, pellucida, coloris expertia, quae calore liquescunt dum interea gaz oxygenium emittunt; cum acido hydrochlorico una calefacta spargunt odorem quasi chlorii.

Chloras kalicus in aqua fervida facile solvitur, at in aquae frigidae partibus non minus quam 16.5. Ea solutio limpida est, coloris expers, reactionis neutralis, addita autem excedente portione acidi tartarici, praecipitatum deponit crystallinum album.

Solutio aquosa $(1 = 20)$ aqua hydrosulfurata ne coloretur neve turbetur, neve aut chloreto barytico aut nitrate argentico turbetur.

Chloratis kalici milligrammata 500, cum solutione hydratis natrici et pulveribus ferri et zinci commixtis una cocta, odorem ammoniae ne gignant.

Chloretum ammonicum.

Pulvis albus, odoris expers, crystallinus.

Chloretum ammonicum calore evanescit ita tamen ut nec liquescat nec quidquam reliqui faciat; idem in spiritu fortiore fere non solvitur, at cum aquae partibus 2.8 liquorem praebet limpidum, coloris expertem, reactionis neutralis aut leviter acidae.

Solutio aquosa, addita solutione hydratis natrici, ammoniam redolet; ex eadem nitras argenticus praecipitatum album floccosum secernit, quod in ammonia facile solvitur.

Solutio aquosa (1 = 20) per acidum hydrochloricum acida facta, ne aut chloreto barytico aut aqua hydrosulfurata, aut chloreto ferrico turbetur neve coloretur; quodsi ammonia saturata erit, addito sulfohydrate ammonico, colorem ne trahat nisi leviter viridem.

+ Chloretum aurico-natricum et Chloretum natricum.

R. **Auri puri** partem unam 1

Hanc solve in mixtura facta ex

Acidi hydrochlorici partibus quatuor. 4
Acidi nitrici parte una 1

Solutionem in balneo aquae ad sirupi spissitudinum evapora, et ad id, quod supererit, adde

Chloreti natrici siccati partem unam cum partibus centesimis quinquaginta quinque 1.55

solutas in

Aquae partibus quatuor 4

Mixturam agitando in balneo aquae exsicca, donec partes reliquae, dum calidae erunt, vapores acidos iam non emittant.

Pulvis colore aurantiaco, in 2 partibus aquae totus solubilis, at in spiritu fortiore non nisi ex parte; utraque solutio est reactionis acidae.

Virgula, ammonia humectata, cum supra pulverem extenditur, nebulas ne gignat.

Huius pulveris milligrammata 500, in aqua soluta, si cum idonea quantitate acidi oxalici una calefiunt, milligrammata auri ne minus quam 150 praebeant, id quod respondet partibus centesimis Auri puri 30.

Auro secreto, liquor qui remanserit, aqua hydrosulfurata ne turbetur, neve ammonia, etiamsi sulfohydratem ammonicum addideris, aut coloretur aut turbetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 25.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 100.

+ Chloretum ferricum.

Fili Ferri tenuis partes centum viginti quinque . 125
Acidi hydrochlorici partes quingentas viginti quinque 525

Filum Ferri in cucurbita ampla acido perfunde, deinde calefac quoad iam nullum gaz emittatur; tum liquorem adhuc calidum filtra per filtrum noti ponderis.

Quod solvi nequiverit, id ablue, sicca et pende. Per solutionem calefactam gaz chlorium aqua ablutum usque transmitte, donec gutta, aqua diluta, cyaneto kalico-ferrico iam non caeruleum fiat. Tum liquorem usque eo evapora donec ex 100 partibus Ferri quas solveris, partes quadringenae octogenae ternae (483) supersint, has loco frigido in crystalla sine coalescere.

Frusta crystallina flava vel ex subfusco flava, hygroscopica, quae iam leni calore liquescunt, in aqua et in spiritu fortiore facile solubilia.

Solutio aquosa (1 = 100), dum coquitur, limpida permaneat. Ceterum solutio Chloreti ferrici (3 = 4) iisdem legibus puritatis satisfaciat, quae „Solutioni Chloreti ferrici" scriptae sunt.

+ Chloretum ferricum et Chloretum ammonicum

R. **Solutionis Chloreti ferrici** partem unam. 1
Chloreti ammonici partes quinque 5

Has misce; mixtas exsicca assidue agitando in balneo aquae, deinde contere.

Pulvis crystallinus colore aurantiaco, hygroscopicus, qui in 3 partibus aquae totus solvitur.

Ferri insint partes centesimae 2.69 ad 2.86, quod ut exploretur 1 gramma Salis solvatur in aquae centimetris cubicis 25 et acidi hydrochlorici centimetris cubicis 10, quae solutio, ad caloris gradum 50m calefacta, cum solutionis iodeti kalici (1 = 10) centimetris cubicis 5 commisceatur et per thiosulfatem volumetricum decoloretur, id quod efficient centimetri cubici 4.8 ad 5.1.

Ceterum haec solutio (1 = 3) iisdem legibus puritatis satisfaciat, quae „Solutioni Chloreti ferrici" scriptae sunt.

+ Chloretum hydrargyrico-ammonicum.

Mercurius praecipitatus albus.

R. **Chloreti hydrargyrici** partem unam. 1
Ammoniae
Aquae, utriusque quantum satis erit.

Chloretum hydrargyricum in aquae calidae partibus 20 solve; solutioni limpidae, ubi refrixerit, assidue agitando paulatim

adde ammoniae tantum, ut liquor leviter alcalinus fiat. Praecipitatum collige; ubi omnis liquor defluxerit 9 partibus aquae ablue, deinde loco opaco exsicca caloris gradu 30° summum.

Frustula alba sive pulvis inde paratus, qui calore omnis evanescit, ita tamen ut non ante liquescat, cum interea dilabitur.

Chloretum hydrargyrico-ammonicum in aqua fere non solubile est.

Cum solutione hydratis natrici una calefactum flavescit et odorem spargit ammoniae.

In acido acetico diluto calefacto totum solvitur nec tamen effervescit.

Hoc praeparatum successit in locum Chloreti hydrargyrici et Amididi hydrargyrici, quod in Editione secunda praescribebatur.

Chloretum hydrargyricum.

Mercurius sublimatus corrosivus.

Crystalla coloris expertia, nitida, gravissima, acubus simillima, quae si calefiunt, liquescunt ac deinde in sublimatum album crystallinum tota transeunt.

Chloretum hydrargyricum solubile est in aethere, in aquae partibus 16, in spiritus fortioris partibus 3.

Solutio aquosa (1 = 20) acidam praebet reactionem, quae tamen addito chloreto natrico evanescit. Ex eadem solutione nitras argenticus praecipitatum album, aquae calcis autem excedens portio praecipitatum ex flavo rubrum secernit.

Si ex 500 milligrammatis Chloreti hydrargyrici solutis, hydrargyrum per gaz hydrosulfuratum secretum erit, is liquor cum evaporatur, nihil ponderabile relinquat.

Doses maximae singulae milligrammatum 20.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 100.

Chloretum hydrargyrosum.

Mercurius dulcis.

Calomel.

Conterendo et levigando paratur ex Chloreto hydrargyroso sublimato.

Pulvis minutissimus, ex subflavo albus, gravis; si calefit, paene sine residuo sublimatur nec liquescit.

Solutione hydratis natrici perfusus nigrescit.

Chloretum hydrargyrosum, cum paululum aquae addideris, in ferro expolito intra minutae spatium maculam ne gignat.

+ Chloretum natricum.

Pulvis albus crystallinus, qui flammam non fulgentem statim colore flavo constanti inficit.

Chloretum natricum cum 3 partibus aquae solutionem praebet limpidam reactionis neutralis, ex qua nitras argenticus praecipitatum album floccosum secernit, quod in ammonia facile solvitur.

Solutio aquosa (1 = 20) ne aut chloreto barytico aut carbonate natrico turbetur, neve aut liquore Nessleri aut aqua hydrosulfurata aut sulfohydrate ammonico coloretur.

Chloroformum.

Liquor coloris expers, odoris penetrantis, admodum volatilis, ponderis specifici 1.485 ad 1.490, caloris gradu 61° ad 62° ebulliens, in aqua parce solubilis, at facile in spiritu fortiore, in aethere, in oleis pinguibus.

Cum in charta bibula evaporatur, odorem alienum ne spargat neve maculam relinquat.

Aquae centimetris cubicis 4 et Chloroformi 2 una conquassatis, volumen Chloroformi ne cernas minui; quae aqua reactionem acidam ne praebeat, neve aut nitrate argentico aut iodeto kalico cum amylo turbetur neve coloretur.

Chloroformi centimetri cubici 5 si cum 5 centimetris cubicis acidi sulfurici conquassantur, neuter liquor coloretur.

Chloroformum inhalationibus destinatum insuper his legibus pareat:

Chloroformi centimetri cubici 5 si cum suo volumine acidi sulfurici conquassati erunt, liquores ne colorentur, ne cum per 24 quidem horas se contigerint.

Chloroformum dum cum solutione hydratis natrici calida conquassatur, ne aut solutionem colore inducat, aut ipsum coloretur.

Chloroformi centimetri cubici 10 centimetros cubicos 2 eius liquoris quem ex alcali volumetrici centimetro cubico 1 et aquae centimetris cubicis 149 comparaveris, atque per phenolphtaleini guttam 1 rubefeceris, si in lagenula operta una conquassantur, ne decolorent, ne 24 quidem horis intermissis.

+ Chrysarobinum.

Pulvis flavus, odoris et saporis expers, ex Pulvere Goa paratus, qui calore liquescit et cum comburitur nihil relinquit.

In aqua fere non solubilis est; spiritum fortiorem et aetherem colore flavo manifesto inficit. In benzolo fervido fere totus solvitur colore e fusco rubro.

Chrysarobinum in liquoribus alcalinis solvitur colore e fusco rubro, qui deinde in aëre purpureus fit.

Cum acido sulfurico liquorem praebet sanguinei coloris, ex quo, si aqua diluitur, tale, quale fuerat, secernitur.

Ubi Acidum chrysophanicum praescriptum est, Chrysarobinum dispensari licet.

+ Citras magnesicus effervescens.

R. **Pulveris Acidi citrici** partes triginta 30

Has diligenter contere cum

Aquae partibus quatuor 4

Tunc admisce

Carbonatis magnesici partes decem. 10

Mixturam loco sicco temperatura solita sine coalescere, tunc contere, super oxydum calcicum exsicca, commisce cum

Pulveris Bicarbonatis natrici partibus triginta quatuor 34

Pulveris Acidi citrici partibus sedecim 16

Pulveris Sacchari partibus decem 10

quas singulatim prius exsiccaveris caloris gradu circiter 30°.

Mixturam alcohole absoluto madefac ut cohaerescat, deinde exsicca et in pulverem grosse granosum (A 3) redige.

Citras magnesicus effervescens ubi aqua perfunditur abunde gignat acidum carbonicum, deinde liquorem praebeat limpidum reactionis leviter acidae.

Codeinum.

Crystalla coloris expertia, subpellucida, quae in balneo aquae calefacta 6 partes centesimas aquae amittunt, et caloris gradu fere 150° liquescunt; quodsi in aëre calefiunt, sine residuo comburuntur.

In spiritu fortiore, in aethere, in chloroformo, in partibus 130 aquae frigidae solvuntur. Solutio aquosa est amari saporis, reactionis alcalinae.

Codeinum, in aquam fervidam inmissum, antequam solvitur,

in liquorem oleaceum liquescit, qui, dum refrigeratur, in massam crystallinam coalescit.

Codeinum cum acido sulfurico solutionem praebet coloris expertem, quae si cum minima quantitate chloreti ferrici calefiet, colorem obscure caeruleum trahet.

Solutio 1 milligrammatis cyaneti kalico-ferrici in 10 centimetris cubicis aquae facta, cui 2 guttae chloreti ferrici admixtae sint, cum additur solutio ex Codeini milligrammatis 5 in aquae centimetro cubico 1 composita, acidi hydrochlorici gutta 1 ne statim trahat colorem viridem neve caeruleum.

Doses maximae singulae milligrammatum 50.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 200.

+ Coffeinum.

Crystalla procera, acubus simillima, alba, nitida, levissima, quae calore liquescunt ac deinde tota sublimantur.

In aquae fervidae partibus 2 solvuntur, cum iisque liquorem praebent limpidum, neutralem, saporis amari, qui liquor, dum refrigeratur, in pultem crystallinam coalescit. Coffeinum facile solvitur in chloroformo, difficilius in spiritu fortiore, difficillime autem in aethere.

Coffeinum, aqua chlorata perfusum atque in balneo aquae rursus siccatum, colorem trahit ex flavo rubrum, si vero ammonia humectatur, purpureum.

Coffeinum cum acido sulfurico et cum acido nitrico solutiones praebet coloris expertes.

Solutio aquosa saturata iodeto kalico-hydrargyrico, aut aqua chlorata, aut solutione iodii ne turbetur. Tanninum ex eadem praecipitatum secernit, quod in excedente portione illius reagentis solubile est.

Collodium.

R. **Acidi nitrici crudi** ponderis specifici 1.380 partes quadringentas 400

His caute admisce

Acidi sulfurici crudi ponderis specifici 1.830 partes mille. 1000

In hanc mixturam, ad caloris gradum 20um refrigeratam, merge

Gossypii depurati partes quinquaginta quinque. . 55

tum per 24 horas sepone.

Lanam Collodii ita praeparatam in magnam aquae copiam ingere et crebris lotionibus omni acido adhaerenti liberatam atque bene extricatam calore gradum 80um non attingente exsicca. Huius perfecte siccatae

Lanae Collodii partibus tribus 3

adde tantum mixturae ex

Aetheris partibus octoginta. 80

Spiritus fortioris partibus septemdecim 17

factae, donec lana tota vel paene tota soluta et liquor sirupi spissitudinis effectus erit.

Solutionem aliquantisper, si ita necesse est, ad subsidendum sepositam, limpidam defunde.

Sit liquor limpidus, coloris expers, aetherem valde redolens, qui, in stratum subtile extenuatus, aethere et spiritu evaporatis, cuticulam diaphanam, coloris expertem, cohaerentem relinquat, quae aqua humectata reactionem acidam ne ostendat.

+ Collodium elasticum.

R. **Collodii** partes nonaginta sex. 96

Olei Ricini partes quatuor 4

Misce.

✝ Colophonium.

Resina quae, oleo terebinthinae destillato, residet ex Terebinthina quam praebent variae generis Pinus L. species.

Frusta friabilia, pellucida, fragilia, coloris subflavi vel clare fusci, in fractura late conchata, odoris peculiaris, exigui, aqua ponderosiora. In balneo aquae liquescunt et in spiritu diluto, calore adhibito, plane solvuntur.

Cornu Cervi praeparatum.

R. **Cornus Cervi raspati** 100
Acidi hydrochlorici, utriusque partes centum . . . 100
Aquae quantum opus erit.

Macera donec sales calcis extracti erunt; quod reliquum erit tam diu aqua frigida ablue, donec haec reactionem acidam non amplius ostendat; tum lenissimo calore sicca.

✝ Cornu Cervi raspatum.

Rasura Cornus Cervi.

Cornua ramosa quae fert Cervus Elaphus L., mas.

Eius praesto sint laminae radendo paratae angustae, tenues, tortiles, albidae.

+ Cortex Cascarillae.

Cortex quem fert Croton Eluteria Benn.

Tubi duri, fragiles, plerumque minus quam decimetrum 1 longi et centimetrum 1 lati, sive frusta canaliculata, millimetros 1 ad 2 crassa. Superficiem exhibent clare griseam, strato autem subereo remoto, plagas subflavas vel fuscas, per longitudinem striatas et transverse rimosas. Facies interna subfusca, granulis subtilibus aequaliter conspersa. In fractura transversa aequales, cornei, intrinsecus subtilissime radiatim striati. Odor aromaticus; sapor aromaticus et amarus. Accensus cortex fumum spargit moschi odore gravem.

Ad usum ligni frustula, ramuli aliaeque quisquiliae expellantur.

Cortex Chinae.

Cortex quem fert Cinchona succirubra Pav. culta.

Frusta tubulosa, canaliculata vel plana. Quae peridermate quod facile desquamatur aut cortice subereo tenui tecta sunt, eorum facies exterior ex albo cinerea est vel subfusca, rimis brevibus transversis praedita, in locis denudatis obscure cinnamomea, per longitudinem rugosa, transverse breviter rimosa. Quae rhytidomate fuscescenti, fragili induta sunt, eorum facies exterior per longitudinem et transverse profundis rimis inciditur, in locis denudatis plano-foveata et e fusco rubra. Utrorumque facies interior e fusco rubra, fibrosa. Fractura transversa breves et tenues assulas habet. Sapor amarus.

Cortex Chinae, in pulverem redactus, alcaloideorum contineat partes centesimas 5 ad 6, quod num ita se habeat, sic explora:

Pulveris grammata 10, admixtis hydratis calcici grammatis 15 et spiritus fortioris grammatis 168, concoque donec ruber liquoris color aut totus aut maiore ex parte in flavum abierit.

Mixturam ubi refrixerit ad pristinum pondus revoca, addito spiritu fortiore. Conquassa, filtra, filtrati grammata 84, additis 3 grammatis acidi hydrochlorici diluti et 10 grammatis aquae, in balneo aquae evapora, assidue agitando, donec 15 grammata remanserint; liquori adhuc calido tantum adde carbonatis natrici, donec reactionem non nisi leviter acidam praebeat.

Liquori refrigerato et filtrato solutionis hydratis natrici tantum adde, dum reactio manifesto alcalina fiat; deinde mixturam conquassa: primum cum chloroformi centimetris cubicis 20, deinde cum centimetris cubicis denis (10) toties, donec iam nulla in eo alcaloidea solvantur.

Alcaloidea quae chloroformo destillato comparantur, per horae spatium ad caloris gradum 100um siccata, pondus habeant milligrammatum 250 ad 300.

Horum alcaloideorum solutio neutralis ope acidi hydrochlorici facta in aquae grammatis 10, si cum tanta quantitate tartratis natrici quantum alcaloideorum pondus est, calefacta erit, cum refrixerit aliquantum secernat tartratum, quod cum collectum et ablutum et ad caloris gradum 100um siccatum erit, partes centesimas 55 alcaloideorum efficiat. Horum tartratum milligrammata 100, cum aliquot guttis acidi sulfurici diluti in centimetris cubicis 40 aquae soluta, liquorem praebeant, cuius centimetri cubici 4 cum aquae chloratae guttis 2 ad 4 commixti, additis 2 guttis ammoniae, colorem trahant manifesto viridem.

+ Cortex Cinnamomi.

Endophloeum ramorum quos fert Cinnamomum zeylanicum Breyn.

Tubi plurimi inter se complexi, ita ut cylindros efficiant metrum fere 1 longos, centimetros circiter 1 latos. Ipsum endophloeum millimetri partes decimas 3 vel minus crassum,

fragile, aequale, opacum, coloris pallidi e flavo fusci, striis flexuosis, pallidioribus per superficiem dispersis. In fractura dense fibrosum. Facies interna obscure fusca. Odor peculiaris, gratus; sapor valde aromaticus, urens.

+ Cortex Condurango.

Cortex quem fert Gonolobus Condurango Tr.

Frusta canaliculata vel tubi recurvati, centimetros 3 ad 10 longi et millimetros 1 ad 7 crassi. Facies exterior fuscescens vel e fusco grisea, per longitudinem rugosa, gibbosa; facies interior clare grisea, per longitudinem striis grossis et intermittentibus obsita. Fractura transversa granulosa, passim fibrosa. Sapor amaricans, subacer.

Cortex Frangulae

Cortex quem fert Rhamnus Frangula L.

Tubi decimetros paene 3 longi, centimetros 1 ad 2 lati. Ipse cortex vulgo millimetrum 1.5 crassus, cuius superficies exterior e badio nigra vel sordide nigra et rimulis transversis crebris notata est; interior autem facies e rubro fusca; in fractura directa flava, fibrosa. Sapor paulum subdulcis et subamarus.

Cortex non recentior adhibendus quam qui per annum postquam collectus est servatus erit.

+ Cortex Fructus Aurantii.

Cortex Aurantiorum.

Strata bina exteriora fructus maturi quem fert Citrus vulgaris Risso, in segmenta 4 paene elliptica divisa.

Centimetros 6 ad 8 longa, centimetros 4 ad 5 lata, millimetros 2 ad 5 crassa; superficies exterior e flavo fuscescens, rugoso-foveolata; interior autem spongiosa, alba. Odor aromaticus; sapor aromaticus et amarus.

Ad usum, strato interiore albo remoto, stratum exterius (Flavedo) solum adhibeatur.

Cortex Granati.

Cortex radicis quam fert Punica Granatum L.

Tubi vel frusta canaliculata, dura, fragilia, nitore obscuro in fractura. Superficies externa ex griseo fusca, modo satis laevis, modo asserculis vel verrucis subereis, vel etiam rugis aut laminis peridermatis tenuibus solutis, asperata. Superficies interna coloris clare vel obscure fusci, ex longitudine striis prominentibus plerumque insignis. Sapor adstringens, amaricans.

Reiciantur frusta in quorum superficie asserculi suberei vel cristae subereae in rhomboides vel in alias figuras regulares coëunt, atque rima, marginibus tumentibus septa medios asserculos cristasve perrumpit; item alia quae in superficie externa passim thallum vel apothecia Lichenum aut perithecia Pyrenomycetum gestant; postremo ea quoque quae in superficie interna pallide flava et laevissima sunt, quippe quae omnia a trunco vel a ramis originem ducant.

Loco Corticis Granati supra descripti, ex Europa meridionali oriundi, corticem dispensari licet ex India orientali, qui ex frustis minoribus rasuraque consistit.

Cortex Granati tantum alcaloideorum contineat, ut inde

pars centesima non minus quam 1 hydrochloratum colligi possit, hac quidem ratione:

Corticis in pulverem redacti grammata 10 cum hydratis calcici grammatis 2, aquae centimetris cubicis 100, solutionis hydratis natrici grammatibus 2 commisce; commixta per 24 horas macera crebro agitando, tum in apparatu depulsorio extrahe. Ubi liquor defluxerit, residuum parvis aquae quantitatibus usque eo perfunde, donec in liquore defluente iam nulla alcaloidea deprehendantur. Massam percolatam saepius conquassa, primum cum 20 centimetris cubicis chloroformi, post cum denis (10) centimetris cubicis, donec alcaloidea in chloroformo soluta erunt. Huic solutioni adde aquae centimetros cubicos 10, tum acidi hydrochlorici volumetrici stillatim adde tantum, quantum opus est ut liquor aquosus, etiamsi crebro conquassatur, acidulus remaneat. Chloroformum iterum excute, cum 5 quidem centimetris cubicis aquae, et liquores aquosos commixtos in balneo aquae lenissimo calore evapora, donec gramma fere 1 remanserit. Quod residuum in exsiccatore exsiccetur, donec pondus sibi constet. Pondus habeat ne minus quam 100 milligrammatum, vix sit coloratum, in aqua totum solvatur.

+ Cortex Mezerei.

Cortex quem fert Daphne Mezereum L., ineunte vere de trunco et ramis validioribus degluptus.

Fasciae decimetros 3 ad 6 longae, centimetros 1 ad 4 latae, millimetrum 1 summum crassae, tenacissimae, flexibiles, in fasciculos decimetros 1 ad 3 longos complicatae. Periderma subfuscum cum mesophloeo tenui viridi facile resolvitur ab endophloeo tenacissimo, subtiliter fibrato, cuius facies interior ex subflavo albida, bombacina. Sapor acer et urens.

+ Cortex Simarubae.

Cortex radicis quam fert Simaruba officinalis D. C.

Fasciae tenacissimae varia longitudine, millimetros 1 ad 6 crassae, valde fibrosae, cinereae, quarum superficies externa modo est rugosa, hic illic gibboso- vel verrucoso-aspera, aut fragmentis peridermatis tenuis, pallide flavescentis, nitidi tecta, modo in fibras soluta. Sapor amarissimus.

Crocus Martis.

Subcarbonas Ferri.

R **Sulfatis ferrosi** partes centum 100

Has solve in

Aquae calidae partibus quadringentis 400

additis guttis aliquot acidi sulfurici diluti.

Hanc solutionem fortiter agitando infunde in solutionem limpidam calidam ex

Carbonatis natrici partibus centum quindecim . . 115

Aquae partibus quadringentis. 400

factam.

Hic liquor, ubi praecipitatus erit, alcalinus sit.

Eum sine subsidere; deinde liquorem supra sedimentum exstantem defunde; hoc denuo cum aqua calida agitando commisce; iterum sine subsidere; aquam remove; pro aqua remota aquam recentem infunde, atque eodem modo perge, donec particula quaedam aquae, quam per acidum hydrochloricum dilutum acidam reddideris, chloreto barytico iam non statim turbetur. Tum sedimentum linteo impositum strenue exprime, atque in parva frusta divide, quae deinde leni calore siccentur et in pulverem redigantur.

Pulvis ex rubro vel ex flavo fuscus, qui in acido hydro-

chlorico totus effervescendo solvitur, liquorem praebens, qui per cyanetum et kalico-ferrosum et kalico-ferricum caeruleum trahit colorem. Aqua si cum pulvere conquassatur, ex eo fere nihil solvat. Solutio pulveris in acido hydrochlorico facta chloreto barytico ne statim turbetur, eademque si cum acido nitrico cocta et cum excedente portione ammoniae commixta ac deinde filtrata erit, liquorem praebeat coloris expertem, quo evaporato residuum remanebit, quod cum candefit vix quidquam relinquat.

Cubebae.

Fructus quos fert Cubeba officinarum Miq.

Globosi, diametro millimetrorum 5 summum, pericarpio extus e cinereo fusco vel nigrescenti, reticulato-rugoso, millimetri partem quartam ad dimidiam crasso, deorsum in caudam centimetrum 1 summum longam, vix millimetrum 1 crassam attenuato. Endocarpium colore clariore, fragile, includit semen, basi sola affixum, plerumque corrugatum, plenum. Odor aromaticus; sapor aromaticus, penetrans, subamarus, non acer.

Ad usum a pedunculis ramulorumque fragmentis purgentur.

Decocta.

Corpora, quae decoquantur, si ita erit necesse, aequabiliter sint distributa; itaque pro sua quodque natura aut minutim sint concisa, aut in pulverem grossum redacta.

Nisi alia ratio praescripta est, neque ultra doses maximas exceditur, ad colaturam partium 100 sumantur partes 10 substantiae primitivae, praeterquam de

Carrageen cujus pars una et dimidia 15

Semine Lini cuius partes tres 3
Cortice Chinae cuius partes sex 6
Lichene islandico cuius partes sex. 6
Fructibus Hordei decorticatis quorum partes octo . 8

sumantur.

+ Decoctum Cornus Cervi compositum.

Decoctum album Sydenhami.

R. **Cornus Cervi praeparati** partes duas 2
Micae Panis 10
Sacchari, utriusque partes decem 10
Aquae communis quantum opus est ad colaturam partium ducentarum. 200

Cornu Cervi coque cum aqua per horae dimidium, deinde adde micam panis et perge decoquere per 5 minutas. Ubi saccharum in colatura solutum erit, si ita necesse erit, aquae adde tantum quantum requiritur.

Elaeosacchara.

Guttam 1 Olei volatilis praescripti misce cum Sacchari grammatis 2.

+ Electuarium Catechu.

℞. **Pulveris Opii** partem unam 1
Pulveris Seminis Myristicae partes quinque. . . . 5
Pulveris Corticis Cinnamomi partes decem 10
Pulveris Catechu partes quadraginta quatuor. . . 44
Sirupi simplicis partes centum quadraginta. . . . 140

Misce diligenter.
Partes 100 contineant partem 0.5 Pulveris Opii.

Electuarium Sennae compositum.

Electuarium lenitivum.

℞. **Prunorum** 150
Pulpae Tamarindorum crudae, utriusque partes centum quinquaginta. 150

Utramque pulpam separatim para et quidem illam ita, ut prunos in aqua coquas et pulpes, hanc, ut pulpam tamarindorum crudam aqua fervida emollias et pulpes.

Pulpas ita praeparatas misce cum

Sirupi simplicis partibus ducentis 200
Pulveris Foliorum Sennae partibus quinquaginta . 50

Mixtas perpetuo agitando in balneo aquae evapora, donec remanserint

partes quingentae 500

+ Elemi.

Succus resinosus, elicitus ex truncis variarum specierum arborescentium e familia cui nomen Burseraceae.

Elemi manilani, quo nostrates praecipue uti solent, prostant frusta quae inter digitos mollescunt iisque adhaerent, nitoris adiposi, extus coloris pallide citrini, intus albicantis, odoris graviter aromatici, subcitrini et foeniculacei, saporis aromatici, subamari.

Totum in spiritu fortiore fervido solvatur, exceptis quisquiliis quae forte inerunt.

Emplastra.

Ad Emplastra paranda Adeps, Cera, aliaeque substantiae liquabiles in balneo aquae liquefactae, cum reliquis substantiis accuratissime misceantur, eaque mixtura malaxando redigatur in formam cylindrorum, qui charta cerata vel paraffinata involvantur.

Emplastrum adhaesivum.

Emplastrum resinosum.

R. **Emplastri Oxydi plumbici** partes octoginta 80
Cerae flavae partes quinque. 5
Colophonii partes quindecim 15

Liquefactas misce.

Emplastrum flavum, lentum, tempore indurescens.

Emplastrum aromaticum.

R. **Cerae flavae** partes triginta sex 36
Adipis suilli partes viginti quinque 25
Olei Myristicae partes septem 7
Terebinthinae partes quatuor 4

Ubi liquefactae erunt atque mixtura satis refrixerit, eo admisce

Pulveris Olibani (B. 30) partes duodeviginti. . . . 18
Pulveris Caryophyllorum (B. 20) partes novem . . . 9
Olei Menthae piperitae partem unam 1

Emplastrum e flavo fuscum, odore aromatico, quod facile malaxatur.

Emplastrum Cantharidum.

Emplastrum vesicatorium.

R. **Cerae flavae** 24
Colophonii, utriusque partes viginti quatuor . . . 24
Olei Olivarum partes septem 7

Liquefactis admisce

Pulveris Cantharidum partes triginta quatuor. . . 34

et mixturam saepius agitatam digere per 2 horas.
Deinde admisce

Terebinthinae partes undecim 11

Emplastrum e subviridi nigrum, quod facile malaxatur, in quo particulae minutae subviridi nitore conspiciuntur.

Emplastrum gummosum.

Emplastrum Diachylon cum Gummi.

R.	**Emplastri Oxydi plumbici** partes septuaginta . . .	70
	Cerae flavae partes octo	8

Liquefactis admisce

Ammoniaci depurati.	8
Galbani depurati, utriusque in pulverem redacti partes octo.	8

ante leni calore solutas in

Terebinthinae partibus sex	6

Emplastrum e subfusco flavum, satis durum et lentum, odoris peculiaris.

Emplastrum Hydrargyri.

Emplastrum mercuriale.

R.	**Hydrargyri** partes viginti quinque	25
	Adipis suilli partes decem.	10

Adipem, hydrargyro lente addito, tam diu cum eo contere, donec globuli hydrargyri non amplius conspicui sint. Deinde malaxando eo admisce

Emplastri Oxydi plumbici partes quinquaginta quinque	55
Cerae flavae partes decem	10

ante una liquefactas et rite refrigeratas.

Emplastrum e caeruleo cinereum, durum, in quo globuli hydrargyri ne sint conspicui.

Emplastrum Oxydi plumbici.

Emplastrum Diapalmae.

R. **Oxydi plumbici semivitrei** in pulverem subtilissimum redacti,
Olei Olivarum,
Adipis suilli,
Aquae communis, singulorum partes aequas.

In vase cupreo amplo leni igne coque assidue agitando, et pro aqua evaporata interdum aquam fervidam adde, donec emplastrum crassitudinem iustam habeat. Deinde hoc malaxando in aqua elue.

Emplastrum album, lentum, tempore flavescens atque indurescens, in quo particulae oxydi metallici ne sint conspicuae.

Emulsiones.

Emulsiones ex seminibus, nisi alia ratio praescripta est, e partibus 15 seminis parentur, ad colaturam partium 100.

Amygdalae ante epispermio liberentur.

Emulsiones oleosae, quibus ratio inter varias substantias conficientes non indicata est, ex Oleo et pulvere Gummi arabici parentur ita, ut olei pondus duplex sit, vel, si Oleum Ricini adhibetur, triplex.

Extracta.

Ad Extracta aquosa paranda liquores maceratione vel alio modo comparati, cum desederint, evaporentur calore gra-

dum 100um non superante, donec pars tertia voluminis remanserit, nisi scriptum sit, ut ulterius purgentur non necesse esse, quo facto per horas 24 loco frigido eos depone. Liquor defundendo et colando purgatus, in balneo aquae ad iustum crassitudinem evaporetur, quod dum fit, si in superficie cuticula apparebit, assidue agitandum est.

Eadem cura procedendum in *Extractis spirituosis*, ita tamen ut apparatus depulsorius adhibeatur, nisi aliter praescriptum est. Liquor spirituosus ita paratus calore gradum 80um non superante, spiritu liberatus, in balneo aquae ad iustam spissitudinem evaporetur.

Extracta aetherea eodem modo praeparentur atque in Extractis spirituosis dictum est.

Extracta spissa vix se effundi patiantur.

Extracta sicca parabis si evaporationem persequeris donec restet massa, quae refrigerata facile in pulverem conteratur.

In Extractis odorem et saporem substantiarum ex quibus parata sunt, etiam manifestos esse oportet.

Grammata 2 Extracti si in grammatis 5 aquae fervidae soluta erunt, paucis additis guttis acidi hydrochlorici, in lamina ferrea nitida, quam eo immerseris, cuticulam aeruginosam ne giguant, ne hora quidem intermissa.

Extracta narcotica partim asservari licet ut pulverem, in quam formam si vis ea redigere, misce cum Saccharo Lactis, deinde exsicca calore gradum 60um non superante. Sacchari Lactis tantum addatur ut 3 partes mixturae accurate respondeant 1 parti Extracti; quae ratio in titulo indicanda est.

Ea Extracta quae continent principia volatilia, item Extracta narcotica, spirituosa, aetherea atque sicca, conserventur in lagenis bene obturatis.

Extractum Aconiti.

Extractum Aconiti spirituosum.

R. **Herbae Aconiti recentis** partes centum 100

Concide, contunde, exprime. Massam expressam, additis

Aquae communis partibus quinque. 5

iterum contunde et exprime.

Liquores commixtos calefac ad caloris gradum 80um, tum cola, deinde evapora, calore gradum 70um non superante, donec remanserint

partes decem. 10

Has, ubi refrixerint, misce cum

Spiritus fortioris partibus duodecim 12

mixturam per biduum loco frigido sepone.

Liquorem filtra et evapora ad extractum spissum calore gradum 70um non superante.

Extractum cum aquae partibus 10 limpidam praebeat solutionem, quae aequo volumine spiritus fortioris addito ne turbetur.

Extracti milligrammata 100 si in centimetro cubico 1 aquae solveris, eamque solutionem, additis 5 guttis ammoniae, cum aetheris centimetris cubicis 10 conquassaveris, secernetur stratum aetheris limpidum, quod cum in duas partes aequales divisum evaporaveris, id residuum quod ex altera parte remanserit, in 1 gutta acidi hydrochlorici diluti et 5 guttis aquae solutum, addita 1 gutta iodeti kalico-hydrargyrici, praecipitatum copiosum album praebeat; ex altera autem parte quod remanserit, id, si cum 2 guttis acidi phosphorici commixtum in balneo aquae calefeceris, colorem trahat violaceum.

Doses maximae singulae milligrammatum 100.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 500.

Extractum Aloës.

R.	**Aloës** partes centum	100
	Aquae communis partes quingentas	500

Calefac donec aloë soluta erit, liquorem misce cum

Aquae communis partibus quingentis	500

Mixturam per horas 24 loco frigido depone, deinde liquorem cola, neve amplius expurges et evapora ad extractum siccum.

Extractum cum 10 partibus aquae limpidam praebeat solutionem.

Extractum Belladonnae.

Extractum Belladonnae spirituosum.

Ex Herba Belladonnae recenti parandum est eodem modo atque in Extracto Aconiti praescriptum est.

Iisdem legibus solubilitatis satisfaciat.

Extracti milligrammata 100 si in centimetro cubico 1 aquae solveris, eamque solutionem additis 5 guttis ammoniae cum aetheris centimetris cubicis 10 conquassaveris, secernetur stratum aetheris limpidum, quod cum in duas partes aequales divisum evaporaveris, id residuum, quod ex altera parte remanserit, in 1 gutta acidi hydrochlorici diluti et 5 guttis aquae solutum, addita 1 gutta iodeti kalico-hydrargyrici, praecipitatum copiosum album praebeat; ex altera autem parte quod resederit, id, si cum 2 guttis acidi nitroso-nitrici in balneo aquae calefeceris donec nulli iam acidi vapores prodeant, additis 2 guttis solutionis hydratis kalici spirituosae, colorem trahat obscure purpureum.

Doses maximae singulae milligrammatum 20.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 80.

+ Extractum Calumba.

R. **Radicis Calumba** in pulverem (B. 10) redactae . . . q. v.
Spiritus fortioris prius cum dimidio voluminis Aquae communis diluti . . . . q. s.

Pulverem extrahe cum spiritu diluto in apparatu depulsorio usquedum aliquid solvitur. Liquorem evapora ad extractum spissum.

Centenis partibus **Extracti** 100

adde

Glycerini partes quinas 5

iterum evapora ad partes 100.

Extractum in aqua solutum praebet solutionem flavam turbidam, unde paulatim aliquantulum resinae secernitur, in spiritu fortiore solubilis.

+ Extractum Cannabis.

R. **Herbae Cannabis indicae** in pulverem (B. 10) redactae q. v.
Spiritus fortioris . . . . q. s.

Extrahe in apparatu depulsorio et in extractum spissum redige.

Extractum sit obscure viride, in spiritu fortiore plane solubile, in aqua non item.

Cum comburitur, aliquantulum cineris relinquat, cuius solutio in acido hydrochlorico facta, ammonia abunde addita, ne coloretur.

Doses maximae singulae milligrammatum **100.**

Doses maximae in singulos dies milligrammatum **400.**

Extractum Cardui benedicti.

R. **Herbae Cardui benedicti** concisae partes centum . 100

Aquae communis fervidae partes quingentas . . . 500

Has per 12 horas sepone, sed fac interdum agites. Tum exprime et iterum eodem modo tracta, at nunc sume

Aquae communis fervidae partes trecentas 300

Ubi desederint liquores cola, confunde, in extractum spissum redige, secundum leges praescriptas.

Extractum cum 10 partibus aquae limpidam praebeat solutionem.

+ Extractum Cascarillae.

R. **Corticis Cascarillae** in pulverem (B. 10) redacti partes centum. 100

Aquae communis fervidae partes quadringentas. . 400

Has per horas 24 sepone, sed fac interdum agites. Tum evapora et iterum eodem modo tracta, at nunc per horas 12, adhibitis

Aquae communis fervidae partibus trecentis . . . 300

Ubi desederint liquores cola, confunde neve amplius expurges, et in extractum spissum redige.

Aqua admixta, Extractum turbidam praebeat solutionem, unde paulatim praecipitatum secernitur, in spiritu fortiore solubile.

+ Extractum Centaurii.

℞. **Herbae Centaurii** concisae et contusae partes centum 100
Aquae communis fervidae partes quingentas . . . 500

Has per horas 24 sepone, sed fac interdum agites. Tum exprime et iterum eodem modo tracta, at nunc per horas 12, adhibitis

Aquae communis fervidae partibus trecentis . . . 300

Ubi desederint liquores cola, confunde, in extractum spissum redige, secundum leges praescriptas.

Extracti solutio aquosa turbida est, sed admixto spiritu fortiore perfecte limpida fiat.

Extractum Chinae.

℞. **Pulveris Corticis Chinae** . . . . q. v.
Spiritus fortioris suo Aquae communis volumine diluti . . . . q. s.

Extrahe in apparatu depulsorio donec liquor eliquatus coloris et saporis fere expers sit. Ex hac solutione extractum siccum para.

Frusta e rubro fusca, quae trita pulverem subrubrum praebeant.

Extractum in aqua calefactum circiter ad dimidium solubile sit, sed in spiritu diluto fere totum.

Quantum insit alcaloideorum sic explora:

Extracti grammata 5 contrita, admixtis 15 grammatis hydratis calcici, cum spiritus fortioris grammatis 140 concoque eodem modo atque in Cortice Chinae praescriptum est. Filtrati grammata 84, quibus respondent Extracti grammata 3, eo modo quo praescriptum est, praebeant alcaloideorum milligrammata 270 ad 330, quod respondet partibus centesimis 9 ad 11 in Extracto.

Alcaloidea ita comparata iisdem legibus puritatis satisfaciant quae alcaloideis ex Cortice Chinae paratis constitutae sunt.

Extractum Chinae liquidum.

R. **Pulveris Corticis Chinae** partes centum 100
Acidi hydrochlorici diluti partes duodecim 12
Glycerini partes viginti 20
Aquae . . . . q. s.

Pulverem chinae misce cum quadruplici pondere aquae ante cum acido et glycerino commixtae, deinde per horas 24 macera.

Ubi liquor defluxerit, massam reliquam in apparatu depulsorio aqua perfunde, donec guttae 4 carbonatis natrici e guttis 2 liquoris defluentis praecipitatum nullum secernant.

Liquorem collectum statim evapora in balneo aquae, calore gradum 80um non superante, donec supersint

partes nonaginta 90

Has misce cum

Spiritus fortioris partibus decem 10

ita ut pondus totum aequet pondus pulveris corticis chinae adhibiti.

Extractum sit liquidum, ex rubro fuscum; cum quintuplici volumine aquae, additis, si quando opus est, guttis aliquot acidi hydrochlorici diluti, limpidam praebeat mixturam. Volumine quintuplici alcoholis absoluti addito, turbidum fit et praecipitatum secernit album floccosum, quod deinde coalescet.

Hoc Extractum si dimidio acidi hydrochlorici volumine diluitur, praecipitatum abundans nascitur, quod primo album, mox fiet e rubro fuscum, cum interea coalescet.

Quantum insit alcaloideorum sic explora:

Extracti grammatis 5 admisce aquae grammata 40 et solutionis hydratis natrici tantum quantum requiritur ut reactio manifesto alcalina fiat. Hanc mixturam conquassa: primum cum chloroformi centimetris cubicis 20, deinde cum centimetris cubicis denis (10) toties, donec alcaloidea iam non solvantur.

Alcaloidea, quae chloroformo destillato supererunt, per horae spatium calore 100° siccata, pondus habeant milligrammatum 200 ad 225, quod respondet partibus alcaloideorum centesimis 4 ad 4.5 Extracti.

Alcaloidea ita comparata iisdem legibus puritatis satisfaciant, quae alcaloideis ex Cortice Chinae paratis constitutae sunt.

+ Extractum Colocynthidis.

R. **Fructuum Colocynthidis**, seminibus liberatorum, contusorum et concisorum partes centum. . . . 100
Spiritus fortioris partes quadringentas. 400
Aquae communis partes ducentas 200

Macera per dies 4, interdum agitans. Tum exprime et iterum eodem modo tracta, at nunc sume mixturam

Spiritus fortioris partium ducentarum 200
Aquae communis partium trecentarum 300

Liquores filtratos confunde et in extractum siccum redige.

Extractum in aqua tritum, relinquat materiem resinosam, in spiritu diluto plane solubilem.

Doses maximae singulae milligrammatum 50.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 200.

+ Extractum Conii.

Extractum Conii spirituosum.

Ex Herba recenti Conii paretur eodem modo atque in Extracto Aconiti praescriptum est.

Iisdem legibus solubilitatis satisfaciat.

Extracti milligrammata 200 si in centimetris cubicis 4 aquae solveris, et huius solutionis partem dimidiam alteram cum 2

guttis solutionis hydratis natrici calefeceris, coniini odor manifestus prodeat; at alteram partem si, admixtis 5 guttis ammoniae, cum aetheris centimetris cubicis 5 conquassaveris, ac deinde stratum aetheris limpidum, quod secernetur, evaporaveris, hoc, 1 gutta acidi hydrochlorici diluti prius addita, relinquat residuum, quod in 5 guttis aquae solutum, addita 1 gutta iodeti kalico-hydrargyrici, praecipitatum praebeat copiosum album.

Doses maximae singulae milligrammatum 50.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 300.

Extractum Filicis.

R. **Rhizomatis Filicis** in pulverem (B. 10) redacti . . . q. v.
Aetheris . . . . q. s.

Extrahe in apparatu depulsorio et liquorem in extractum redige, quod habeat spissitudinem mellis recentis.

Sit Extractum perviride et in aethere totum solubile.

Ad usum in massam aequalem agitando redigatur.

+ Extractum Frangulae.

Ex Cortice Frangulae conciso et contuso paretur eodem modo atque in Extracto Centaurii praescriptum est, sed in extractum siccum redigatur.

Extractum cum 10 partibus aquae solutionem praebeat paene limpidam, quae addito spiritu fortiore perfecte limpida fiat.

Extractum Gentianae.

R. **Radicis Gentianae** in pulverem (B. 10) redactae partes centum 100
Aquae communis partes octingentas 800

Macera per horas 24, crebro agitans. Tum exprime et iterum, sed nunc per 12 horas, macera, at nunc sume

Aquae communis partes quadringentas 400

Iterum exprime et liquores limpidos, secundum leges praescriptas, redige in extractum spissum.

Extractum in 10 partibus aquae sit solubile, et quae interea fit levis turbatio, partibus 2 spiritus fortioris additis, plane evanescat.

Extractum Graminis.

E Rhizomate Graminis conciso et contuso paretur eodem modo atque in Extracto Centaurii praescriptum est.

Cum 10 partibus aquae limpidam praebeat solutionem.

+ Extractum Granati.

R. **Corticis Granati** in pulverem (B. 20) redacti. . . . q. v.
Spiritus diluti . . . . q s.

Apparatu depulsorio adhibito, liquorem eliquatum evaporando in extractum siccum redige.

Solutio aquosa coloris flavi et turbida sit; eadem, addito spiritu fortiore, limpida fiat.

Extractum Granati tantum alcaloideorum contineat ut ex eo partes centesimae 2.5 minimum hydrochloratum collegi possint, hac ratione:

Extracti grammata 4 misce cum hydratis calcici grammatis 2,

aquae centimetris cubicis 50, solutionis hydratis natrici grammatis 2. Mixturam per 24 horas macera, tum filtra; quidque in filtro remanserit, parvulis quantitatibus aquae ablue, donec in liquore defluente alcaloidea iam nulla deprehendantur. Hoc filtratum cum chloroformo una conquassa, atque eodem modo subige quo in Cortice Granati praescriptum est. Quod supererit ne minus quam 100 milligrammatum pondus habeat.

+ Extractum Helenii.

R. **Radicis Helenii** in pulverem grossum (A. 5) redactae partes centum 100

Spiritus diluti partes trecentas 300

Macera per triduum crebro agitans, exprime et residuum per 24 horas eodem modo tracta, additis

Aquae communis partibus quingentis. 500

Iterum exprime et macera, sed nunc per horas 12 cum

Aquae communis partibus trecentis. 300

Liquorem spirituosum filtra, in balneo aquae evapora ad sirupi spissitudinem, tum liquores aquosos ad tertiam sui partem evaporatos, ac cum subsedissent colatos et ipsos ad sirupi spissitudinem redactos commisce, quo facto si perges evaporare, extractum spissum parabis.

In Extracti solutione aquosa secernitur praecipitatum, quod in spiritu fortiore plane sit solubile.

+ Extractum Hydrastis liquidum.

R. **Rhizomatis Hydrastis** in pulverem (B. 30) redacti partes centum 100

Spiritus diluti. . . . . q. s.

Tarde sine depelli, donec prodierint

partes octoginta quinque 85

has sepone et perge depellere, donec liquor defluens iam fere colore careat.

Liquorem novissime collectum evapora ad spissitudinem extracti, quod solvas in eo liquore quem primum collegeris. Huic mixturae, si ita erit necesse, tantum adde spiritus diluti, ut fiant partes 100.

Extractum loco frigido per 4 hebdomades sepone, tum filtra.

Liquor limpidus, e fusco flavus, qui cum in balneo aquae evaporatur, ne minus quam 20 partes centesimas extracti sicci relinquat.

Extracti milligrammata 50 si aqua ad centimetros cubicos 20 diluta ac deinde filtrata erunt, filtrati flavi centimetri cubici 5, addito aquae chloratae centimetro cubico 1, mox rubefiant; eiusdem alteri 5 centimetri cubici, additis acidi sulfurici diluti et iodeti kalico-hydrargyrici guttis singulis, praecipitatum abunde praebeant.

Doses maximae singulae grammatis 1.

Doses maximae in singulos dies grammatum 4.

Extractum Hyoscyami.

Extractum Hyoscyami spirituosum.

Ex Herba recenti Hyoscyami parandum eodem modo quo Extractum Aconiti.

Iisdem legibus solubilitatis satisfaciat.

Extracti milligrammata 200 si in aquae centimetris cubicis 2 solveris, eamque solutionem, additis 10 guttis ammoniae, cum aetheris centimetris cubicis 10 conquassaveris, secernetur stratum aetheris limpidum, quod cum in duas partes divisum in balneo aquae calefeceris, relinquantur partes residuae, quae iisdem legibus respondeant atque in Extractum Belladonnae scriptum est.

Doses maximae singulae milligrammatum 50.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 500.

Extractum Liquiritiae.

R. **Radicis Liquiritiae** in pulverem (B. 10) redactae partes centum 100
Aquae communis partes quadringentas 400
Ammoniae partes viginti 20

In vase obturato per 24 horas macera, crebro agitans, deinde exprime et residuo affunde

Aquae communis partes trecentas 300
Ammoniae partes sex 6

Iterum macera per horas 6 et exprime.

Liquores limpidos commixtos evaporando redige in extractum spissum, secundum leges praescriptas.

Centenis partibus **Extracti** 100

adde

Glycerini partes quinas 5

easque evapora ad partes 100.

Extracti solutio aquosa turbida sit, reactionis neutralis, sed quae limpida fiat paucis guttis ammoniae additis.

Extractum Opii.

R. **Pulveris Opii** partes centum 100
Aquae partes quingentas 500

Macera per 24 horas, interdum agitans.

Exprime et residuum bis eodem modo, sed nunc per horas 12, tracta cum

Aquae partibus trecentis 300

Liquores commixtos et filtratos evapora ad extractum siccum, neve amplius purges.

Extractum cum 10 partibus aquae solutionem praebeat paene limpidam.

Quantum insit Morphini sic explora:

Extracti contriti gramma 1.5 atque hydratis calcici gramma 1 misce cum aquae grammatis 28.5. Hanc mixturam per horas ne minus quam 12 macera, crebro conquassans, tum filtra. Filtrati grammata 20 cum aetheris centimetris cubicis 10 et benzoli guttis 5 conquassa, in iisque chloreti ammonici milligrammata 250 solve leniter conquassans. Mixtura etiam atque etiam conquassata, post horas 24 stratum aetheris tolle; iterum conquassa cum aetheris centimetris cubicis 5, iterumque strato dempto, crystalla secreta collige. Haec ablue, primum aqua, donec ea defluens iam non coloretur, deinde centimetris cubicis 5 spiritus (40 in 100), postremo sicca calore 100° et pondera.

Pondus sit milligrammatum 180, quod respondet partibus centesimis 18 Morphini in Extracto. Extractum, cui minus insit Morphini, non licet adhiberi. Si cui forte plus inerit, id Extractum, admixto Saccharo Lactis, ad iustam redigatur proportionem.

Morphinum secretum in pondere centumplici aquae calcis plane sit solubile. Cum comburitur, vix quidquam relinquat.

Doses maximae singulae milligrammatum 50

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 200.

+ Extractum Physostigmatis.

Extractum Calabar.

R **Seminis Physostigmatis** in pulverem (B. 10) redacti. q. v.
Spiritus fortioris . . . . q. s.

Pulverem cum spiritu in apparatu depulsorio extrahe donec 10 guttae liquoris eliquati, in balneo aquae evaporatae et cum guttis 20 ammoniae denuo ad siccitatem redactae, maculam caeruleam non relinquant.

Spiritus calore gradum 60um non superante secernatur et evaporatio peragatur donec restet residuum paene siccum, quod, in spiritus fortioris parva quantitate solutum et filtratum, temperatura indicata ad extractum spissum evaporetur.

Partibus centenis **Extracti** 100

adde

Glycerini partes quinas 5

iterum evapora ad partes 100.

Extractum in decemplici volumine spiritus fortioris fere totum solubile esse oportet. Solutio aquosa turbida sit.

Extracti milligrammata 10 si in 15 guttis ammoniae solveris, eamque solutionem in balneo aquae evaporaveris, relinquatur residuum obscure ex caeruleo viride, quod in 2 guttis aquae colore caeruleo solvatur.

Doses maximae singulae milligrammatum 20.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 60.

+ Extractum Quassiae.

℞. **Ligni Quassiae** concisi et contusi partes centum . 100
Aquae communis fervidae partes quingentas . . . 500

Per 24 horas sepone sed interdum agita.

Liquore defuso, reliquum eodem modo tracta, nunc autem per 12 horas, cum

Aquae communis fervidae partibus quadringentis . 400

Liquores limpidos commixtos evapora ad extractum siccum, neve amplius purges.

Extractum cum aqua turbidum praebeat liquorem.

Extractum Ratanhiae.

℞. **Radicis Ratanhiae** in pulverem grossum (A. 5) redactae partes centum 100
Aquae communis partes quingentas 500

Macera per 24 horas, interdum agitans. Tum exprime et residuum iterum macera, nunc autem per 12 horas, cum

Aquae communis partibus quadringentis 400

Iterum exprime et liquores limpidos commixtos in extractum siccum redige, secundum leges praescriptas.

Extractum cum 10 partibus aquae fervidae limpidam praebeat solutionem, quae refrigescendo adiaphana fiat licet, at ne praecipitatum secernat. Solutio refrigerata, addito spiritu fortiore, plane limpida fiat.

Extractum Rhei.

R. **Radicis Rhei** in pulverem (B. 10) redactae. . . . . q. v.
Spiritus fortioris prius diluti cum aequo volumine aquae communis . . . . q. s.

In apparatu depulsorio extrahe et liquorem eliquatum in extractum siccum redige.

Extractum cum aqua turbidum praebeat liquorem, sed qui per spiritum fortiorem limpidus fiat.

+ Extractum Rhei compositum.

Extractum catholicum.

R. **Extracti Rhei** partes sexaginta 60
Extracti Aloës partes viginti 20
Resinae Jalapae 10
Saponis medicati, utriusque partes decem 10

Miscendo redige in pulverem aequalem.

Extractum Secalis cornuti.

Extractum haemostaticum.

Ergotinum.

R. **Secalis cornuti** in pulverem (B. 10) redacti partes centum. 100
Aquae partes ducentas 200

Macera per horas 12, interdum agitans, deinde exprime et liquorem statim calefac in balneo aquae donec albumen concreverit.

Pulverem iterum macera cum eadem quantitate aquae communis, at nunc per horas 6 et liquorem expressum eadem ratione tracta.

Liquores commixtos et colatos evapora in balneo aquae donec supersint

partes quinquaginta 50

Has ubi refrixerint misce cum

Spiritus fortioris partibus quinquaginta 50

Post biduum liquorem filtra et evaporando redige in Extractum spissum.

Partibus centenis **Extracti** 100

adde

Glycerini partes quinas 5

denuo evapora, donec supersint

partes centum. 100

Cum 10 partibus aquae limpidam praebeat solutionem, quae aequo volumine spiritus fortioris addito, limpida maneat.

Solutio aquosa cum tannino, cum chloreto hydrargyrico, cum iodeto kalico-hydrargyrico praecipitati abunde secernat.

Extractum Strychni.

Extractum Nucis vomicae.

R. **Seminis Strychni** in pulverem (B. 10) redacti . . . q. v.
Spiritus diluti . . . . q. s.

In apparatu depulsorio extrahe donec macula, quae post evaporationem guttae 1 defluentis remanserit, per guttas 2 acidi nitrici vix rubefiat. E liquore collecto Extractum siccum para.

Extractum ubi tritum erit, pulvis sit e subfusco flavus, qui cum aqua turbidum praebeat liquorem, sed qui spiritu fortiore addito plane limpidus fiat.

Quantum insit alcaloideorum sic explora:

Extracti gramma 1 in balneo aquae calefaciendo solve in aquae centimetris cubicis 10 et acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 2; solutionem refrigeratam filtra et solutione hydratis natrici alcalinam redde; deinde conquassa: primum cum chloroformi centimetris cubicis 20, dein cum chloroformi centimetris cubicis denis (10) toties, donec alcaloidea in eo iam non solvantur; postremo chloroformum destilla, residuum sicca calore 100°.

Alcaloideorum ea ratione collecta sint milligrammata 150, quod respondet partibus centesimis 15 in Extracto. Sint coloris paene expertes; cum acido hydrochlorico diluto solutionem praebeant limpidam.

Extractum cui minus alcaloideorum insit non licet adhiberi. Si cui forte plus inerit, id Extractum, admiscendo Saccharo Lactis, ad iustam redigatur proportionem.

Doses maximae singulae milligrammatum 25.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 100.

Extractum Taraxaci.

R **Radicis et Herbae Taraxaci recentium** concisarum partes centum 100

Aquae communis fervidae partes ducentas 200

Per horas 24 sepone sed interdum agita; tum exprime et residuum eadem ratione, sed per horas 12, tracta; iterum exprime.

Liquores collectos secundum leges praescriptas redige in Extractum spissum, quod cum aquae partibus 10 solutionem praebeat paene limpidam.

+ Extractum Trifolii fibrini.

E Foliis Trifolii fibrini parandum eodem modo quo Extractum Centaurii.

+ Extractum Valerianae.

E Radice Valerianae minutim concisa parandum eodem modo quo Extractum Helenii, ita tamen ut, postquam spiritu maceratum est, aqua fervida adhibeatur, non frigida.

Cum aquae partibus 10 turbidum praebeat liquorem, sed qui spiritu fortiore addito limpidus fiat.

Ferrum pulveratum.

Pulvis minutus, gravis, griseus, nitoris metallici.

Ferrum pulveratum in acido sulfurico diluto totus solvitur praeter paululum pulveris nigri, cum interea gaz vix odorum emittitur.

Haec solutio, si cum acido nitrico una calefacta ac deinde cum excedente portione ammoniae commixta, postremo filtrata erit, colorem ne quem trahat; qua evaporata ubi residuum leniter candefeceris, nihil sit reliqui.

Ferri pulverati milligrammata 100 soluta in chloratis kalici milligrammatis 100 et acidi hydrochlorici centimetris cubicis 5, postquam omne chlorium coquendo expulsum erit, additis aliquot frustis zinci, gaz gignant, quo nitras argenticus (1 = 2) non coloretur.

+ Ferrum reductum.

Pulvis minutus, opacus, griseus; dum fricatur, in modum metallorum nitescit.

In acido sulfurico diluto solvitur, cum interea gaz vix odorum emittit, nec plus quam 1 partem centesimam relinquit, quae solvi nequeat. Haec solutio aqua hydrosulfurata ne turbetur, eademque si cum acido nitrico cocta et cum excedente portione ammoniae commixta ac deinde filtrata erit, liquorem praebeat coloris expertem, quo evaporato, ubi residuum leniter candefeceris, nihil erit reliqui.

Ferri reducti milligrammata 100 soluta in chloratis kalici milligrammatis 25 et acidi hydrochlorici centimetris cubicis 5, postquam omne chlorium coquendo expulsum erit, frustulis aliquot zinci additis, gaz gignant, quo nitras argenticus (1 = 2) non coloretur.

Ferrum reductum partes centesimas Ferri metallici ne minus quam 86 contineat, quod ut explores milligrammata eius 100 cum acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 20 et chloratis kalici milligrammatis 50 una calefac, usque eo, quoad omne chlorium expulsum erit; id quod remanserit cum aquae centimetris cubicis 75 commisce, commixtum ad caloris gradum 50um calefac; huc adde solutionis iodeti kalici (1 = 10) centimetros cubicos 8; hunc liquorem per thiosulfatem volumetricum decolora, id quod efficient centimetri cubici non minus quam 17.2.

[Ratio ita constat: A. nobis esto pondus Ferri quod in aliqua quantitate inesse compererimus (in thiosulfatis volumetrici centimetris cubicis 17.2 huius erunt partes centesimae 96.32); pondus ferri metallici erit $\frac{29\,A - 2100}{8}$].

+ Flores Arnicae.

Anthodia quae praebet Arnica montana L.

Involucrum biseriale, ex squamulis 20 ad 24 lineari-lanceolatis, pilosis, compositum. Receptaculum alte convexum, foveolatum, in foveolarum marginibus fimbrilliferum, millimetros 6 summum latum. Radii flosculi circiter 20 numero, ligulati, apice tridentato, 10 nervis praediti, feminei; disci tubulosi, multo breviores, quinquedentati, hermaphroditi; omnes ex luteo aurantiaci. Fructus, qui mercibus saepe intermixti sunt, setosi, quinquangulares, millimetros 6 summum longi, e flavido grisei vel subnigri, pappo coronati qui constat ex setis rigidis, scabris, fragilibus. Odor leviter aromaticus; item sapor, atque insuper amaricans.

Ad usum ab involucris, receptaculis et fructibus liberentur.

+ Flores Chamomillae romanae.

Anthodia quae praebet Anthemis nobilis L.

Involucrum imbricatum, hemisphaericum. Receptaculum convexum, subconicum, intus parenchymate laxo repletum, paleis obtusis obsitum, quarum pars antica serrato-lacera. Radii flosculi, quorum numerus cultura multum auctus est, ligulati sunt et albi; disci autem, quorum numerus multum est contractus, tubulosi et lutei. Odor aromaticus, peculiaris, fortis; sapor aromaticus, peramarus.

Flores Chamomillae vulgaris.

Anthodia quae praebet Matricaria Chamomilla L.

Glabra. Involucri squamulae margine membranaceo. Receptaculum elongato-conicum, millimetros 4 ad 5 altum, ad basin versus millimetrum 1.5 latum, nudum, cavum. Radii flosculi ligulati, albi, 12 ad 18 numero; disci, quorum numerus maior est, tubulosi, lutei. Odor aromaticus, peculiaris, fortis; sapor aromaticus, amarus.

Flores Cinae.

Semen Cinae. Semen Santonici.

Anthodia nondum aperta quae praebet Artemisia Cina Berg.

Parva, millimetros 2 ad 4 longa, millimetrum 1.5 lata, paene prismatica, superne arcte clausa. Involucri sqamulae 12 ad 18 numero, imbricatae, glabrae; infimae obtuso-ovatae, superiores angustiores et longiores; omnes carinatae, margine membranaceo, coloris subnitide viridis, postea subflavi vel subfusci. Flosculi, qui in singulis anthodiis 3 ad 5 numero contineri possunt, plerumque non aut vix conspicui sunt. Odor maxime peculiaris, aromaticus; sapor nauseoso-aromaticus, amaricans.

Floribus Cinae ne sint admixta folia, caules, pedunculi.

+ Flores Koso.

Flores Kousso.

Paniculae femineae vel flores feminei quos fert Hagenia abyssinica Willd. sub antheseos finem collecti.

Flores brevi-pedicellati, a basi 2 bracteolis instructi, quae sunt suborbiculares, reticulato-venosae, purpureae. Sepala exteriora oblongo-obovata, reticulato-venosa, a basi setosa, centimetrum 1 summum longa, intense purpurea; interiora vix millimetros 3 longa, convergentia. Odor exiguus; sapor primum fatuus, postremo ingrate amarus.

Ad usum paniculae a pedunculis crassioribus purgentur.

Flores Sambuci.

Flores quos fert Sambucus nigra L., tempestate sicca collecti, mox siccati et per cribrum a polline liberati.

Calyx parvus, quinquedentatus vel quadridentatus. Corolla rotata, quinqueloba vel quadriloba, lobis ovalibus, obtusis, siccando valde corrugata, ochroleuca. Stamina 5 vel 4, antheris luteis. Germen semiinferum; stigmata numero 3 vel 2, sessilia. Odor aromaticus, peculiaris, sapor paululum mucilaginoso-subdulcis.

Flores Tiliae.

Inflorescentiae quas ferunt Tilia platyphyllos Scop. et Tilia ulmifolia Scop.

Cymae tri- ad tredecimflorae, quarum rhachis in media altitudine oritur ex nervo mediano folii fulcrantis; quod folium magnum, lanceolatum, reticulato-venosum, e flavo viride, chartaceum. Calyx pentasepalus, caducus; corolla pentapetala, lutescens; stamina numerosa; germen globosum. Odor valde exiguus.

+ Folia Althaeae.

Folia quae fert Althaea officinalis L.

Petiolata, modo subcordato-ovata, lobis plus minus profundis, numero 3 ad 5, modo paene ovata et lobis carentia, omnia satis solida, inaequaliter dentato-crenata, utrimque ex cano tomentosa, tactu velutina, centimetros 8 summum lata. Odor nullus; sapor mucilaginosus.

+ Folia Belladonnae.

Folia quae fert Atropa Belladonna L., ab herba florenti, quae in patria nostra colitur, collecta.

Decimetros 2 summum longa et decimetrum 1 lata, ovalia vel ovata, plerumque subacuminata, integerrima, ad petiolos versus, qui plus dimidio limbis breviores sunt, attenuata, superne obscure viridia et glabra, subtus pallidiora ibique nonnunquam subpubescentia et dispersis glandulis distincta, quae imprimis in iunioribus observantur, in adultioribus autem in nervis tantum. Siccata tenuissima sunt et fragilia. Recentium cum conteruntur odor subnarcoticus; sapor ingratus, paullum acriamaricans.

Doses maximae singulae milligrammatum **200**.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum **600**.

+ Folia Bucco.

Folia Diosmae.

Folia quae ferunt Barosma crenulata Hook., Barosma serratifolia Willd. et Barosma betulina Bartl.

Brevissime petiolata, glabra, subcoriacea vel chartacea, praesertim secundum margines punctis glandulosis clarissime

notata. Primae speciei elliptica vel oblonga, serrulata vel crenulata, centimetros 1 ad 3 longa, millimetros 4 ad 8 lata; alterius lineari-lanceolata, apice truncato, acute serrata, centimetros 2 ad 4 longa, millimetros 3 ad 7 lata; tertiae speciei obovata, apice conduplicato et retroflexo, denticulata, centimetros 1 ad 2 longa, centimetrum 1 ad 1.5 lata. Odor peculiaris, rutaceus; item sapor, atque insuper acer.

Folia Digitalis.

Folia quae fert Digitalis purpurea L., ab herba quae in patria nostra colitur, secundo aetatis anno per anthesin collecta.

Mediocriter vel breviter petiolata vel sessilia, cum petiolo plus minus clare alato decimetros 2 summum longa, centimetros 8 summum lata, oblonga, ovata vel saepe ovato-oblonga, irregulariter crenata, supra inaequalia, subtus reticulo venarum valde prominenti tomentoque molli distincta. Siccatorum foliorum pagina superior laete viridis sit, inferior e cineraceo viridis. Sapor ingratus, amarus.

Ad usum petiolis orbentur.

Pulvis sit laete viridis saepiusque renovetur. Servetur in lagenis epistomio vitreo oxydo calcico repleto clausis.

Foliorum Digitalis grammate 1 et aquae grammatis 10 infusis et filtratis, liquor ita paratus, addito tannino, praecipitatum praebeat copiosum.

Doses maximae singulae milligrammatum 150.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 500.

Foliorum Digitalis in infusione

Doses maximae in singulos dies grammatum 2.

+ Folia Eucalypti.

Folia quae fert Eucalyptus Globulus Lab.

Anguste lanceolata, saepe subfalcata, acuminata, integra, centimetros 15 ad 20 longa, centimetros 3 summum lata, basi rotundato-obtusa vel breviter contracta in petiolum centimetros 2 ad 3 longum, plerumque contortum, satis crassa, rigida, cum siccata sunt fragilia, opace e griseo viridia, utrimque verruculosa, pellucide punctata. Odor, praesertim cum manu conteruntur, aromaticus; sapor aromaticus et amaricans, primo calefaciens, dein refrigerans.

Arborum iuniorum folia tenuiora, ovata, basi cordata, sessilia, rhachi valde prominenti, adhiberi non licet.

+ Folia Hyoscyami.

Folia quae fert Hyoscyamus niger L., ab herba florenti, quae in patria nostra colitur, collecta.

Oblonga vel ovato-oblonga, acuta, sinuato-grossedentata vel plus minus laciniata, tenuia, pallide viridia, glanduloso-villosa, cum recentia sunt flaccida, viscida, decimetros 1 ad 2 longa, decimetrum 1 summum lata. Folia infima longe petiolata, superiora sessilia, summa semiamplexicaulia. Odor narcoticus; sapor subacer.

+ Folia Juglandis.

Folia quae fert Juglans regia L., mense Junio collecta.

Impari-crescenti-pinnata, foliolis 3 ad 9, vulgo autem 7 numero; quae foliola centimetros summum 10 longa sunt et 5 lata, oblonga vel ovali-oblonga, basi asymmetrica, integerrima vel subserrata, acuta, subtus in nervorum axillis

barbata, utrimque glandulosa; foliola lateralia petiolulos habent brevissimos, terminalia longiores, omnes autem venis parallelis insignia. Odor cum teruntur aromaticus; sapor amarus et adstringens; uterque autem in foliis siccatis levior quam in recentibus.

Sint viridia nec nigrescentia.

+ Folia Laurocerasi recentia.

Folia recentia quae fert Prunus Lauro-Cerasus L., adulta et autumno collecta.

Coriacea, breviter petiolata, decimetros 2 summum longa, centimetros 5 summum lata, oblonga vel ovato-oblonga, acuta, glabra, margine recurvulo, superficialiter et remote serrato, supra intense viridia, nitentia, subtus pallidiora et juxta basin nervi mediani glandulis 1 ad 4 notata. Cum contunduntur odorem spargunt olei laurocerasi. Sapor amarus, acerbus, subaromaticus.

Folia Menthae piperitae.

Folia quae fert Mentha piperita L., per anthesin collecta.

Longiuscule petiolata, oblonga vel oblongo-ovata, acuta, centimetros 7 summum longa, glandulosa, plerumque glabra, nervo mediano satis valido. Odor aromaticus; sapor aromaticus, dein refrigerans.

+ Folia Salviae.

Folia quae fert Salvia officinalis L.

Oblonga vel ovata, petiolata, centimetros 6 summum longa, centimetros 2 summum lata, crassiuscula, dense crenulata, supra inaequalia, subtus reticulo venarum admodum ramoso, valde prominenti et quod foveolas minutas inclusas habet, ornata et tomento griseo obducta. Cum contunduntur odorem spargunt aromaticum; sapor aromaticus, subamarus.

Folia Sennae.

Foliola quae fert Cassia angustifolia Vahl culta, quibus nomen „Senna de Tinnevelly".

Lanceolata vel lineari-lanceolata, centimetros 6 summum longa et 2 lata, brevissime petiolulata vel sessilia, chartacea, rigida, plana, basi asymmetrica, apice mucronulato, integerrima, pinninervia, pallide viridia, glabra vel subpuberula. Odor leviter aromaticus; sapor primum mucilaginoso-dulcis, deinde amaricans, subacer.

Ne sint subflava vel subfusca.

+ Folia Stramonii.

Folia quae fert Datura Stramonium L., ab herba florenti, quae in patria nostra colitur, collecta.

Petiolata, quorum petiolus in longitudinem decimetri 1 et in crassitudinem millimetri 1 2-ve crescere potest, tenuia, ovata, acuta, decimetros 2 summum longa, decimetrum fere 1 lata, inaequaliter sinuato-dentata, glabra. Odor recentiorum nauseosus; sapor subamarus, subsalsus.

+ Folia Trifolii fibrini.

Folia quae fert Menyanthes trifoliata L., per anthesin collecta.

Longe petiolata, ternato-secta; segmenta eorum elliptica vel obovata, centimetros 8 summum longa et 4 lata, fere sessilia, apice rotundato, integerrima vel subrepando-crenata, glabra. Odor nullus; sapor peramarus.

Folia Uvae ursi.

Folia quae fert Arctostaphylos Uva ursi Spr.

Coriacea, breviter petiolata, elliptico-obovata, integerrima, nitida, centimetros 2 summum longa, a parte antica centimetrum 1 summum lata, reticulato-venosa. Odor nullus; sapor acerbus.

Fructus Anisi.

Fructus maturissimi quos fert Pimpinella Anisum L.

Cremocarpia conico-ovata, a latere subcompressa, millimetros 3 ad 4 longa, 2 ad 3 lata, vulgo pedicellata, pubescentia, e griseo viridescentia. Mericarpia plerumque cohaerentia, iugis 5 filiformibus, pallidis, valleculas habent 4 planas, vittis 3 ad 5 ornatas, commissuram vittis 6 ad 10, albumen a parte antica fere planum. Odor fragrans; sapor subdulcis, aromaticus.

Ne immixti sint fructus quos fert Conium maculatum L.

+ Fructus Cardamomi.

Fructus quos fert Elettaria Cardamomum White et Maton.

Capsulae ovato-trigonae, e griseo flavidae, centimetros 1 ad 2 longae, centimetrum circiter 1 crassae, rostello brevi tubuloso coronatae, triloculares, valvis flexilibus, dense nervosis, seminibus circiter 20 fuscis, irregulariter angulatis, rugosis, triplici ordine verticali dispositis. Odor et sapor penetrantes camphoracei seminum proprii sunt.

Semina, quae sola adhibentur, ne sine pericarpiis suis comparentur.

+ Fructus Colocynthidis.

Fructus quos fert Citrullus Colocynthis Schrad., decorticati et siccati.

Paene globosi, levissimi, diametro centimetrorum 5 ad 8. Stratum album vel subflavum, tenue, molle, lamelloso-spongiosum includit pulpam albidam, medulloso-spongiosam, siccam, laxam, odoris expertem, amarissimam atque semina multa, obovata, compressa, albida vel lutescentia.

Praestantiores sunt ii quibus pulpa copiosior et semina pauciora.

Ad usum pulpa seminibus liberata adhibeatur.

+ Fructus Coriandri.

Fructus maturi quos fert Coriandrum sativum L.

Cremocarpia globosa, e flavido fusca, glabra, non pedicellata, diametro millimetrorum 3 ad 5, dentibus 5 calycinis plus minus conspicuis et stylopodio conico coronata, super quod nonnunquam 2 styli recurvati eminent. Mericarpia cohaerentia, iugis primariis 5 undulatis, secundariis 6 rectis ornata; in dorso vittae nullae, in commissura vero 2; albumen cupuliforme. Odor et sapor aromatici.

+ Fructus Cydoniae recentes.

Fructus maturi recentes quos fert Cydonia vulgaris Pers.

Poma subsphaerica vel piriformia, coloris citrini, calyce amplo, pentaphyllo, viridi coronata, sarcocarpio compacto, loculis 5 polyspermis. Odor suavis; sapor austerus, acidulus.

+ Fructus Foeniculi.

Fructus maturi quos fert Foeniculum capillaceum Gil.

Cremocarpia oblonga, quasi teretia, stylopodio stylisque reflexis coronata, millimetros 5 ad 8 longa, 2 ad 3 lata, glabra, e griseo vel e fusco viridescentia. Mericarpia saepe disiuncta, iugis 5 prominulis, obtuse carinatis, pallidioribus, quorum 2 marginantia paulo sunt latiora; valleculis planis, fuscis, univittatis; commissura plana, bivittata. Odor fragrans; sapor aromaticus, aniseus, subdulcis.

+ Fructus Juniperi.

Fructus maturi quos fert Juniperus communis L.

Galbuli globosi, diametro millimetrorum 6 summum, cum recentes sunt e nigro violacei et pruinosi; sicci autem sunt nigri, in apice suturis 3 ex uno puncto divergentibus, in basi verticillis 2 alternantibus triphyllis instructi. Pulpa saporis aromatici subdulcis continet semina 3 dura, angulata, vesiculis aliquot oleiferis instructa.

+ Fructus Papaveris.

Fructus quos fert Papaver somniferum L., immaturi.

Capsulae ovatae vel globosae, centimetros 4 ad 5 latae, e griseo viridiflavae. Habent magnum scutum stigmatiferum plurilobatum. Ad basin versus repente angustantur; ipsa basis torulosa est. Imperfecte multiloculares. Septa falcata in faciebus semina gerunt. Sapor amaricans.

Ad usum seminibus liberentur.

+ Fructus Sambuci recentes.

Fructus maturi recentes quos fert Sambucus nigra L.

Drupae ovatae, millimetros 5 ad 7 longae, e violaceo nigricantes, nitidae, calycis dentibus et stigmatum cicatriculis coronatae. Sarcocarpium succulentum, purpureum, pyrenas minutas fuscas continet 3, aut rarius 2 numero. Odor ingratus peculiaris; sapor amarus et ex acidulo dulcis.

+ Galbanum.

Succus gummiresinosus quem praebent species generis Ferula L., ac verisimillime quidem Ferula galbaniflua Boiss. et Buhse et Ferula rubricaulis Boiss., ex caulibus eliquatus et in aëre induratus.

Grana distincta vel conglutinata, flavescentia vel ex rubenti flava vel ex subviridescenti fusca, quae ubi fracta sunt intus colorem albidum brevi amittunt; sive etiam massae maiores, irregulares, ex viridescenti fuscae vel flavae. Admoto calore mox mollescunt digitisque adhaerent, frigore autem fragiliora fiunt. Odor valde aromaticus; sapor acer et amarus.

Spiritus dilutus cum Galbano conquassatus et filtratus, addita parvula quantitate ammoniae liquidae, colore pulchre caeruleo fluorescit.

Quod coloris est valde obscuri aut sordibus intermixtum reiciatur.

Ad usum Galbanum, supra oxydum calcicum siccatum vel tempestate gelida fragile factum, in pulverem redigatur et per cribrum quisquiliis purgetur.

+ Gallae.

Tumores qui ictu Hymenopteri, cui nomen Cynips Gallae tinctoriae Oliv., nascuntur in ramis iunioribus quos fert Quercus infectoria Oliv.

Globosi vel piriformes, interdum brevi-caudati, vulgo centimetros 2 crassi, sursum acute gibbosi, deorsum, si perforati sunt, foramine millimetros 3 amplo instructi, ponderosi, coloris violacei modo clarioris modo intensioris aut olivacei; intus sunt duri, compacti, fusci, ad centrum versus pallidiores.

7*

+ Glandulae Lupuli.

Lupulinum.

Glandulae strobilorum recens siccatorum quos fert Humulus Lupulus L.

Pulvis grumosus, inaequalis, e fusco flavescens, odoris aromatici, paulum narcotici, saporis aromatico-amari. Cum violenter conteritur, massa plastica prodit.

Glandulae Lupuli quisquiliis quantum fieri potest purgentur, neve combustae plus quam 20 partes centesimas cineris relinquant.

Glycerinum.

Liquor limpidus, sirupi spissitudine, coloris et odoris expers, saporis dulcis, ponderis specifici 1.230 ad 1.250. In aëre calefactus inflammatur et comburitur, nec tamen carbonescit aut quidquam relinquit.

Glycerinum in aqua et in spiritu fortiore solubile est; in aethere, in chloroformo, in oleis pinguibus non item.

Glycerinum quod aquae partibus 5 diluitur, liquorem praebeat limpidum neutralem, qui aqua hydrosulfurata, sulfohydrate ammonico, chloreto barytico, nitrate argentico, oxalate ammonico non coloretur nec turbetur.

Glycerinum quod cum solutione hydratis natrici una calefit, odorem ammoniae ne spargat, neve coloretur.

Glycerini centimetri cubici 2, cum aequo volumine acidi sulfurici commixti, coloris expertes et fere inodori perdurent.

Glycerini centimetri cubici 2, si per aquae centimetros cubicos 2 et aquae chloratae centimetros cubicos 2 explorantur eo modo quo in acido hydrochlorico praescriptum est, macula nitratis argentici (1 = 2), ne coloretur, ne 5 quidem minutis intermissis.

+ Glycerinum cum Amylo.

Unguentum Glycerini.

R. **Amyli Solani** partes octo 8
Glycerini partes nonaginta duas. 92

Misce et calefac agitando donec massa pellucida prodierit.

+ Glycerinum cum Tragacantha.

R. **Pulveris Tragacanthae** partes decem 10
Glycerini partes nonaginta 90

Misce, mixtas per horas 24 sepone.

+ Gossypium depuratum

Pili seminum specierum variarum generis Gossypium L. purgati.

Gossypium depuratum sit album, odoris expers, omnibus partibus pinguibus liberum, corporibus alienis careat, in aquae calida statim subsidat. Chartam exploratoriam humectatam ne mutet.

+ Gossypium cum Chloreto ferrico.

Gossypium stypticum.

R. **Gossypii depurati** partes septuaginta quinque . . 75

Extende et aequaliter consperge mixtura facta ex

Solutionis Chloreti ferrici partibus sexag nta . . . 60

Spiritus fortioris partibus septuaginta quinque . . 75

Tum in lagenam epistomio vitreo praeditam leniter comprime et post aliquot dies, cum color ubique aequalis erit factus, exime et sicca calore gradum 40um non superante, donec pondus sit

partium centum 100

Sit coloris obscure flavi.

Contineat Chloreti ferrici anhydri partes centesimas circiter 25.

+ Gossypium cum Chloreto hydrargyrico.

R. **Gossypii depurati** partes trecentas septuaginta novem 379

Extende et aequaliter consperge solutione facta ex

Chloreti hydrargyrici parte una 1

Paraffini liquidi partibus viginti 20

in

Aetheris partibus quadringentis. 400

Tum leniter comprime in lagenam epistomio vitreo praeditam, et per aliquot dies sepone.

Gossypium ita praeparatum, aethere evaporato, pondus habeat

partium quadringentarum. 400

Partes 100 contineant partem quartam (0.25) Chloreti hydrargyrici.

+ Gossypium cum Iodio.

R. **Gossypii depurati prius siccati** partes nonaginta. . 90

Ingere in lagenam epistomio vitreo praeditam et hanc apertam calefac, temperatura 80°; deinde supra gossypium depone

Iodii partes decem 10

charta bibula involutas.

Lagenam operi, perge calefacere in eadem temperatura, donec gossypium colorem fuscum aequalem traxerit, ac iodium omne evanuerit.

Partes 100 contineant partes 10 Iodii.

+ Gossypium cum Iodoformo.

R. **Gossypii depurati** partes nonaginta. 90

Extende et aequaliter consperge solutione facta ex

Iodoformi 5

Paraffini liquidi, utriusque partibus quinque . . . 5

in

Aetheris partibus nonaginta. 90

Tum leniter comprime in lagenam epistomio vitreo praeditam et sine requiescere donec gossypium colorem flavum aequalem traxerit.

Aethere evaporato, pondus sit

partium centum 100

quae contineant partes 5 Iodoformi.

+ Gossypium cum Phenolo.

R. **Gossypii depurati** partes nonaginta tres 93

Extende et aequaliter consperge solutione facta ex

Phenoli partibus duabus 2

Paraffini liquidi partibus quinque 5

in

Aetheris partibus centum 100

Tum leniter comprime in lagenam epistomio vitreo praeditam et sine requiescere donec Gossypium aequaliter imbutum sit Aethere evaporato pondus sit

partium centum 100

quae contineant partes 2 Phenoli.

Granula.

Singula granula, nisi alia ratio praescripta est, singula milligrammata medicamenti imperati contineant et pondus habeant milligrammatum summum 50.

Granulum si vis parare, medicamenti contriti partem 1 misce cum

Pulveris Sacchari Lactis partibus triginta 30

Pulveris Gummi arabici partibus quindecim . . . 15

Sirupi simplicis quantum ad massam idoneam opus est

Granula pulvere (B. 40) Sacchari Lactis conspersa convolve, donec laevia sint.

Gummi arabicum.

Succus gummosus quem praebet Acacia Senegal Willd., ex truncis et ramis eliquatus et in aëre induratus.

Frusta plus minus rotundata, albida vel flavescentia, varia magnitudine, extus opaca et rimosa, in fractura parviconchata, quae in assulas subiridescentes, vitri instar nitentes, frangi possunt. Odor nullus, sapor fatuus.

Cum duplici pondere aquae solvantur in mucum limpidum, coloris fere expertem, omni odore carentem, qui spiritu fortiore praecipitetur et cum solutionibus alcaliorum carbonicorum commixtus praecipitatum praebeat. Solutiones valde dilutae solutione acetatis plumbici basici praecipitantur, solutione acetatis plumbici non item.

+ Herba Aconiti recens.

Pars epigaea recens quam praebet Aconitum Napellus L., quod in patria nostra colitur, brevi ante anthesin collecta.

Caulis erectus, rigidus, raro sursum paulum ramosus. Folia glabra, petiolata; petioli canaliculati, centimetros 2 ad 8 longi; limbi centimetros 5 ad 10 longi et lati, supra nitidi, obscure virides, subtus opaci, pallidiores, palmatisecti, segmentis 5, rarius 7, bipinnatifidis vel tripinnatifidis, laciniis lanceolatis vel lineari-lanceolatis, millimetros circiter 4 latis, quae interdum paucas serraturas gerunt. Odor foliorum cum conteruntur ingratus; sapor subamarus, postea constanter acer et urens.

+ Herba Belladonnae recens.

Pars epigaea recens quam praebet Atropa Belladonna L., quae in patria nostra colitur, dum floret collecta.

Caulis valde ramosus. Folia ramorum superiorum inaequaliter geminata. Flores pedunculati, axillares, solitarii, nutantes, corolla campanulata.

+ Herba Cannabis indicae.

Summitates ramorum florentium quos praebet Cannabis sativa L. femina, quae in India septentrionali colitur.

Inflorescentiae quantum fieri potest foliis maioribus ramisque maxime privatae, quarum aliquot conglutinatae et compressae esse solent, centimetros 2 ad 10 longae, coloris sordide viridescentis. Bracteae lanceolatae, asperae. Flores in bractearum axillis gemini, uterque bracteolis suffultus, perigonio urceolato, piloso, glanduloso. Odor narcoticus, sapor ingrate amarus.

+ Herba Cardui benedicti.

Pars epigaea quam praebet Cnicus benedictus Gaertn., instante anthesi collecta.

Caulis sursum corymboso-ramosus, villosus. Folia basilaria lanceolata, longe petiolata, pinnatifida; superiora oblonga, brevius petiolata, pinnatiloba; summa ovata, amplexicaulia, paene integra; omnia inaequaliter aculeato-dentata. Sapor amarus.

+ Herba Centaurii.

Caulis ramique foliati et inflorescentiae quae fert Erythraea Centaurium Pers., brevi ante anthesin collecta.

Caulis infra plerumque simplex, angulatus, sursum corymboso-ramosus, decimetros 3 vel supra longus et millimetros 2 vel supra crassus, ac, sicut rami et folia, glaber. Folia remota, sessilia, decussata, oblongo-ovalia vel oblonga, trinervia vel quinquenervia, integerrima, summa paene linearia. Cymae terminales, fasciculares. Perianthii persistentis calyx tubulosus, quinquefidus; corolla infundibuliformis, limbo quinquefido, roseo, cuius laciniae ovales et obtusae. Odor nullus, sapor amarus.

+ Herba Cochleariae recens.

Pars epigaea recens quam praebet Cochlearia officinalis L., dum floret collecta.

Caulis angulatus, ramosus, glaber, laete viridis. Folia basilaria longe petiolata, centimetros 2 ad 3 lata, ovata vel cordata; superiora sessilia vel amplexicaulia, ovata, acuta, paucidentata; omnia subcarnosa, succosa, nitida, glabra. Flores albi, cruciati. Odor Herbae cum conteritur acer, sinapinus; sapor acer, subamarus.

+ Herba Conii recens.

Pars epigaea recens quam praebet Conium maculatum L., dum floret collecta.

Caulis glaber, subpruinosus, fistulosus, sursum ramosus, plerumque et praesertim ad basin versus fuscis vel rubris

maculis notatus. Folia glabra, supra obscure viridia, subtus pallidiora et subnitida; inferiora majora, decimetros summum 3 longa, fistuloso-petiolata, tri- vel quadripinnatisecta; superiora brevius petiolata vel sessilia, bipinnatisecta; segmenta ovali-oblonga, acuta; laciniae ultimae ovales vel oblongae, inciso-serratae, serraturis lanceolatis, albo-apiculatis. Involucra plerumque pentaphylla, reflexa, saepe caduca; involucella dimidiata, triphylla vel tetraphylla, umbellulis breviora; corollae parvae, albae; fructus immaturi crenato-costati. Herbae odor, cum conteritur, peculiaris, ingratus; sapor nauseoso-subamarus, deinde acer.

+ Herba Hyoscyami recens.

Pars epigaea recens quam praebet Hyoscycamus niger L., qui in patria nostra colitur, dum floret collecta.

Caulis simplex vel ramosus, pallide viridis, villosus. Folia sparsa. Flores brevissime pedunculati, unilaterales, qui ex axi circinata, foliaceo-bracteata prodeunt. Corolla infundibuliformis, lobis 5 inaequalibus instructa, straminea, venis violaceis densissimis.

+ Herba Lobeliae.

Pars epigaea quam praebet Lobelia inflata L., dum fructifera fit collecta, sectiva, siccata et in lateris formam compressa.

Caulis herbaceus, angularis. Folia irregulariter crenato-serrata, utrimque puberula; inferiora oblonga, obtusa, breviter petiolata; superiora ovalia, acuta, sessilia; summa lanceolato-acuminata, integerrima, bracteanea. Flores parvi, pedunculati,

axillares; superiores in racemos ordinati. Calycis limbi laciniae 5 lineares, corollam aequantes. Corollae limbus bilabiatus, labio superiore bifido, pallide caerulescens vel lilacinus. Capsula inflata, subgloboso-ovoidea, calycis limbo coronata, bilocularis, continet multa et minutissima semina. Odor nullus, sapor postremo acer.

+ Herba Maioranae.

Pars epigaea quam praebet Origanum Majorana L., dum floret collecta.

Caulis sursum paniculatim ramosus, decimetros 3 ad 5 altus, obtuse quadrangularis, brevi-cano-tomentosus. Folia petiolata, decussata, centimetros 2 ad 3 longa, millimetros 6 ad 10 lata, elliptica vel obovata, obtusa, ad basin versus angustata, integerrima, utrimque brevi-cano-tomentosa, glanduloso-punctata. Flores parvi, albi vel rubescentes, fasciculati in spiculas paene sphaericas vel paene ovales, pedunculatas, ternas ad quinas, quae spiculae suffulciuntur bracteis densissime imbricatis, paene orbicularibus, brevi-cano-tomentosis, glandulosis. Odor et sapor peculiares, aromatici, subcamphoracei.

+ Herba Sabinae.

Summitates iuniores quas fert Sabina officinalis Garcke, verno tempore collectae.

Ramuli breves, tenues, paene quadrangulares, dense foliati. Folia millimetros 2 ad 8 longa, in dorso glandula impressa instructa; quorum alia rhombea, trifariam vel quadrifariam ordinata, opposita, arcte imbricata, obtusa, alia ovato-lanceolata, paulo distantia, subpatula, acuta. Odor gravis, peculiaris, terebinthinaceus; sapor ingratus, resinosus, amarus, acer.

Hirudines.

Cotylidea quibus nomina Sanguisuga medicinalis Sav. et Sanguisuga officinalis Sav.

Prior (Hirudo germanica), supra olivacea, per longitudinem lineis 6 laete ferrugineis, nigropunctatis vel nigromaculatis notata, subtus e subviridi luteola, nigro-maculata.

Altera (Hirudo hungarica), supra virescens vel nigrescens olivacea, per longitudinem lineis 6 ferrugineis, nigropunctatis notata, subtus clare viridis, non maculata.

Sint lubricae, agiles; manu caute pressae post paulum in globulos se contrahant.

+ Hydrargyrum.

Metallum liquidum, nitidissimum, volatile, ponderis specifici 13.57.

In acido nitrico totum solvitur, cum eoque liquorem praebet, quo evaporato residuum remanet, quod si vehementer calefiet, totum evanescet.

Hydras Chlorali.

Crystalla sicca, coloris expertia, odoris peculiaris, quae in balneo aquae calefacta liquescunt et plane evanescunt.

In solutione hydratis natrici solvuntur cum interea chloroformum secernitur.

Hydras Chlorali in aquae parte minus quam 1.5 solutionem praebeat plane limpidam; in spiritu fortiore facile solvitur. Solutiones sint neutrales sive leviter acidae; addito nitrate argentico non aut vix opalinae fiant.

Hydras Chlorali si cum acido nitrico una calefit, vapores fusci ne exhalentur.

Hydras Chlorali cum aequo volumine acidi sulfurici leni calore calefactus, liquescit, at ne coloretur neve vapores acidos exhalet.

Doses maximae singulae grammatum 2.

Doses maximae in singulos dies grammatum 6.

+ Hydrobromas Chinini.

Crystalla nitida, coloris expertia, amara, quae tota comburuntur et in aquae fervidae parte 1, aquae frigidae partibus circiter 60, item in spiritus fortioris partibus 2.5 solvuntur.

Solutio aquosa saturata neutralis est vel leviter alcalina; eadem, addito acido sulfurico diluto, colore caeruleo fluorescit; ammonia autem admixta praecipitatum album deponit, quod evanescet, si mixtura cum aethere una conquassabitur. Solutionis gutta 1 cum aquae centimetris cubicis 3 et aquae chlorii centimetri cubico 1 mixturam praebet, quae per ammoniam viridescit.

Hydrobromate Chinini per ammoniam dissoluto, liquor filtratus, ubi per acidum hydrochloricum dilutum acidus factus et cum guttis aliquot aquae chloratae commixtus erit, chloroformum quod una conquassatur, colore flavo inficit. Idem liquor, per acidum nitricum dilutum acidus factus, addita excedente portione nitratis argentici, praecipitatum deponit, quod si elutum et cum carbonate ammonico una conquassatum erit, liquorem praebebit, qui per acidum nitricum dilutum supersaturatus, tantummodo opalinus fiat.

Solutio aquosa saturata Hydrobromatis Chinini chloreto barytico ne statim turbetur.

Hydrobromatis Chinini grammatis 2 in aquae calidae centimetris cubicis 10 solutis si adduntur sulfatis kalici milligrammata 500 in aquae calidae centimetris cubicis 3 soluta, huius mixturae evaporando exsiccatae residuum, postquam comminutum, cum aquae centimetris cubicis 20 per horae partem dimidiam crebro conquassatum, caloris gradu 60° ad 65° calefactum, tum refrigeratum et per 2 horas proximas caloris gradu 15° retentum, interea crebro conquassatum, postremo filtratum erit, huius filtrati centimetri cubici 5 cum ammoniae caloris gradu 15° centimetris cubicis 5 commixti, limpidum praebeant liquorem.

Hic sal cum caloris gradu 100° exsiccatur, partibus centesimis ponderis ne plus quam 5 deminuatur.

Hydrobromas Chinini continet partes centesimas 76.6 Chinini.

+ Hydrobromas Homatropini.

Pulvis albus, crystallinus, qui calore liquescit ac deinde dissolvitur cum interea vapores odoris peculiaris emittit; sine residuo comburitur.

Hydrobromas Homatropini cum aquae fervidae parte 1 vel frigidae partibus 10 solutionem praebet neutralem; in spiritu fortiore difficilius solvitur.

Solutio aquosa (1 = 10) cum exigua aqua chlorata commixta, chloroformum, quod una conquassatur, colore flavo inficit. Eadem ubi quadruplici volumine aquae diluta erit, ammonia non turbabitur, addito autem chloreto hydrargyrico praecipitatum deponet, quod excedente portione reagentis aut aqua solvetur.

Hydrobromatis Homatropini milligramma fere 1, si cum acido nitroso-nitrico evaporatur, residuum relinquit, quod per solutionem hydratis kalici spirituosi colorem trahit aurantiacum.

Hydrobromatis Homatropini milligramma fere 1, quod calefeceris usque dum nebulae ortae sunt, ac deinde cum acidi sulfurici centimetris cubicis 1.5 ita calefeceris ut acidum coloratum sit, postremo cum aquae centimetris cubicis 2 commiscueris, peculiarem sparget odorem, qualis est florum.

Hydrochloras Apomorphini.

Pulvis crystallinus, coloris expers vel clare griseus, inodorus, luce viridescens; calore liquescit, deinde totus comburitur, cum interea vapores nascuntur, qui moschum redolent. In aqua et in spiritu fortiore solvitur.

Aether et chloroformum Hydrochloratem Apomorphini fere non solvunt neve eo colorentur.

Solutio aquosa (1 = 100) sit coloris expers et neutralis aut vix acida. Acidum nitricum eam sanguineo colore inficit. Carbonas natricus ex eadem praecipitatum album secernit, quod mox viridescit et aetherem vel chloroformum, si cum ea mixtura conquassabitur, purpureo illum, hoc caeruleo vel violaceo colore inficit.

Doses maximae singulae milligrammatum **10.**

Doses maximae in singulos dies milligrammatum **50.**

Hydrochloras Chinini.

Crystalla acubus simillima, alba, amara, quae tota comburantur, in aquae frigidae partibus circiter 30 solubilia, item in aquae fervidae parte 1 et in spiritus fortioris partibus 3.

Solutio aquosa (1 = 60) neutralis sive leviter alcalina, addito acido sulfurico diluto, caeruleo colore fluorescit; eadem ammonia admixta, praecipitatum album deponit, quod totum evanescet si mixtura cum aethere conquassabitur. Eiusdem solutionis gutta 1 cum 3 centimetris cubicis aquae et 1 centimetro cubico aquae chloratae mixturam praebet, quae per ammoniam viridescit.

Solutio Hydrochloratis Chinini, quam per ammoniam chinino liberaveris, liquor limpidus erit, ex quo, postquam acido nitrico diluto acidus factus erit, nitras argenticus praecipitatum secernet album, floccosum, quod in excedente portione ammoniae facile solvetur.

Solutio Hydrochloratis Chinini aquosa saturata chloreto barytico ne statim, acido sulfurico diluto nequaquam, turbetur.

Hydrochloratis Chinini grammatis 2 in aquae calidae centimetris cubicis 10 solutis si adduntur sulfatis kalici milligrammata 500 in aquae calidae centimetris cubicis 3 soluta, huius mixturae evaporando exsiccatae residuum, postquam comminutum, cum aquae centimetris cubicis 20 per horae partem dimidiam crebro conquassatum, caloris gradu 60° ad 65° calefactum, tum refrigeratum et per 2 horas proximas caloris gradu 15° retentum, interea crebro conquassatum, postremo filtratum erit, huius filtrati centimetri cubici 5 cum ammoniae caloris gradu 15° centimetris cubicis 5 commixti, limpidum praebeant liquorem.

Sal si caloris gradu 100° exsiccatur, ne plus quam 9 partes centesimas amittat.

Hydrochloras Chinini continet partes centesimas 81.7 Chinini.

Hydrochloras Cocaini.

Crystalla coloris expertia, quae calore liquescunt et tota comburuntur. Caloris gradu 100° pondere non deminuuntur; in aqua et in spiritu fortiore facile solvuntur, difficilius autem in aethere et in chloroformo.

Solutio aquosa (1 = 50) ne sit acida; cui si nitratem argenticum addideris, praecipitatum deponet album, in acido nitrico non solubile; si carbonatem ammonicum, praecipitatum album, si chloretum auricum, flavum.

Hydrochloratis Cocaini milligrammata 10 in 1 2-ve guttis aquae soluta, admixta solutione 3 milligrammatum permanganatis kalici sicci in 1 centimetro cubico aquae facta, praecipitatum violaceum deponunt. Quae mixtura si calefit, odorem olei amygdalarum amararum ne spargat.

Hydrochloratis Cocaini milligrammata 10, cum acidi sulfurici centimetro cubico 0.5 liquorem praebeant limpidum, coloris expertem, qui si per 1 2-ve minutas caloris gradu 100° calefactus ac deinde refrigeratus et 1 centimetro cubico aquae dilutus erit, crystalla praebebit, quae rursus evanescent cum liquor calefiet aut cum aethere una conquassabitur.

Doses maximae singulae milligrammatum 50.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 200.

Hydrochloras Morphini.

Crystalla coloris expertia, nitida, vel laterculi albi, saporis amari. Calore liquescunt et tota comburuntur.

Hydrochloras Morphini in aquae frigidae partibus 25 vel aquae fervidae parte 1, et in spiritus fortioris partibus circiter 55 solubilis est. Solutio aquosa sit neutralis.

Hydrochloras Morphini, si acidum nitricum addideris, colorem trahet rubrum, si chloretum ferricum, caeruleum.

Solutio aquosa ($1 = 30$), addita solutione hydratis natrici, praecipitatum album deponit, quod excedente portione reagentis rursus solvetur; eadem, si nitratem argenticum addideris, praecipitatum deponet album, in acido nitrico non solubile.

Hydrochloras Morphini, si caloris gradu 100° siccatur, ne plus quam 15 partes centesimas aquae amittat.

Hydrochloratem Morphini in locum Acetatis Morphini dispensari licebit.

Doses maximae singulae milligrammatum 30.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 100.

+ Hydrochloras Pilocarpini.

Pulvis crystallinus, coloris expers, hygroscopicus, qui calore liquescit et totus comburitur. In aqua et in spiritu fortiore facilius solvitur quam in aethere et in chloroformo.

Acidum nitroso-nitricum et acidum sulfuricum cum Hydrochlorate Pilocarpini solutiones praebent coloris expertes vel vix coloratas; solutio in acido sulfurico facta, addito granulo bichromatis kalici, in modum smaragdi viridescit.

Solutio aquosa ($1 = 10$) Hydrochloratis Pilocarpini solutione hydratis natrici valde turbatur, guttis oleaceis secedentibus, quae tamen evanescent cum solutio conquassabitur.

Solutio aquosa ($1 = 50$) Hydrochloratis Pilocarpini leviter acida est et chloreto hydrargyrico turbatur; addito nitrate argentico praecipitatum deponet album in acido nitrico non solubile.

Doses maximae singulae milligrammatum 30.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 60.

+ Hypophosphis calcicus.

Pulvis granulosus, crystallinus, albus, inodorus, qui calefactus inflammatur, additisque aquae partibus 6 7-ve solutionem praebet limpidam vel leviter opalescentem, nec tamen solvitur in spiritu fortiore.

Solutio aquosa neutralis est sive leviter alcalina; eadem addito oxalate ammonico praecipitatum album deponit, nitrate autem argentico praecipitatum album, quod cito fuscatur ac deinde nigrescit.

Solutio aquosa (1 = 100) ne statim turbetur chloreto barytico neve acetate plumbico.

+ Hypophosphis natricus.

Pulvis granulosus, crystallinus, albus, inodorus, hygroscopicus, qui calore inflammatur et flammam non fulgentem colore flavo constanti inficit. In aquae parte 1 et in spiritus fortioris partibus fere 30 solvitur. Solutio aquosa neutralis est sive leviter alcalina; eadem, addito nitrate argentico praecipitatum album deponit, quod cito fuscatur ac deinde nigrescit.

Solutio aquosa (1 = 2) carbonate natrico ne praecipitetur, neve acido tartarico, neve mixtura magnesiae, eademque, cum 50-plici volumine aquae commixta, chloreto barytico aut acetate plumbico ne statim turbetur.

Infusa.

Substantiae primitivae, ex quibus Infusa parantur, aequaliter sint distributae, itaque pro sua quaeque natura aut minutim sint concisae, aut in pulverem grossum contusae.

Nisi alia ratio praescripta est, ac si ultra doses maximas non exceditur, ad colaturam partium 100 partes 10 substantiae primitivae sumantur, exceptis

Cortice Radicis Ipecacuanhae 0.5
Foliis Digitalis, quorum utrorumque pars dimidia. 0.5
Floribus Arnicae 4
Foliis Sennae, quorum utrorumque partes quatuor. 4

sumendae sunt.

+ Infusum Hyoscyami oleosum.

Oleum Hyoscyami.

R. **Foliorum Hyoscyami** minutim concisorum partes decem 10

Has macera cum

Spiritus fortioris partibus viginti 20

per horas 12.

Tum adde

Olei Olivarum partes centum 100

et calefac in balneo aquae, interdum agitans, donec spiritus exhalatus erit.

Exprime et, ubi liquor desederit, oleum limpidum defunde.

Oleum coloris viridis, odoris peculiaris non rancidi.

+ Infusum Sennae compositum.

Aqua laxativa viennensis.

R. **Foliorum Sennae** partes decem 10
Fructuum Anisi partes tres 3
Tartratis kalico-natrici 10
Glycerini, utriusque partes decem 10
Aquae communis q. s. ad efficiendas partes centum. 100

Folia concisa et fructus contusos aqua infunde ad colaturam partium 80, deinde in hac sal et glycerinum solve.

Praecipitatum quod secernetur, removeatur.

Iodetum hydrargyricum.

Pulvis coccineus, qui cum calefit colorem in flavum mutat, deinde in liquorem obscurum liquescit et postremo totus evanescit. In solutione iodeti kalici et in spiritu fortiore calefacto nullo colore solvitur.

Aqua cum Iodeto hydrargyrico una conquassata, addita aqua hydrosulfurata, colore subfusco leviter inficiatur, nitrate autem argentico tantummodo opalina fiat.

Doses maximae singulae milligrammatum 15.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 50.

Iodetum hydrargyrosum.

R. **Hydrargyri** partes quatuor 4

Has, addito spiritu fortiore, contere cum

Iodeti hydrargyrici partibus novem 9

donec globuli metallici iam nulli appareant. Pulverem spiritu

fortiore ablue tamdiu, quamdiu hic aqua hydrosulfurata colorabitur; tum loco obscuro lenissimo calore exsicca.

Pulvis e viridi flavus, in aqua et in spiritu fortiore insolubilis. Calore liquescit et evanescit, cum interea hydrargyrum secernitur.

Spiritus fortior, cum Iodeto hydrargyroso una conquassatus, addita aqua hydrosulfurata, colore pallide fusco leviter coloretur.

Doses maximae singulae milligrammatum 50.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 200.

Iodetum kalicum.

Crystalla coloris expertia, non hygroscopica, quae flammam non fulgentem colore violaceo constanti inficiunt. In aquae parte 0.75 et in spiritus fortioris partibus 12 solvuntur.

Solutio aquosa, cui aliquantulum aquae chloratae addideris, chloroformum quod una conquassatur violaceo colore inficit.

Solutio (1 = 20) neutralis sit, neve statim aut chloreto barytico turbetur, aut per acidum sulfuricum dilutum et solutionem amyli caeruleo colore inficiatur. Eadem solutio, ubi paululum sulfatis ferrosi et solutionis hydratis natrici addideris, calefacta et acido hydrochlorico diluto supersaturata, colorem viridem aut caeruleum ne trahat.

Solutio milligrammatum 250 Iodeti kalici in centimetris cubicis 2.5 ammoniae facta, admixtis milligrammatis 275 nitratis argentici in aquae centimetris cubicis 5 solutis, ubi filtrata erit, liquorem praebebit, qui, si acido nitrico supersaturatur, tantummodo opalinus fiat.

Iodetum natricum.

Pulvis crystallinus, coloris expers, hygroscopicus, qui flammam non fulgentem colore flavo constanti inficit. In aquae parte 0.6 solubilis est, item in spiritus fortioris partibus 2.5, dum siccatus sit.

Solutio aquosa, cui aliquantulum aquae chloratae addideris, chloroformum quod una conquassatur, violaceo colore inficit.

Solutio $(1 = 20)$ neutralis sit, neve statim aut chloreto barytico turbetur, aut per acidum sulfuricum dilutum et solutionem amyli caeruleo colore inficiatur.

Aqua iodeto natrico saturata, addita excedente portione acidi tartarici, praecipitatum ne deponat.

Solutio milligrammatum 230 Iodeti natrici in centimetris cubicis 2.5 ammoniae facta, admixtis milligrammatis 275 nitratis argentici in aquae centimetris cubicis 5 solutis, ubi filtrata erit, liquorem praebebit, qui, si acido nitrico supersaturatur, tantummodo opalinus fiat.

Iodetum natricum aquae ne plus contineat quam 1 partem centesimam.

Iodium.

Lamellae crystallinae, e griseo nigrae, nitoris metallici, odoris peculiaris, quae iam leni calore in vapores violaceos abeunt et totae evanescunt; solutionem amyli caeruleo colore inficiunt.

Iodium solubile est in spiritu fortiore, in aethere, in chloroformo, in solutione iodeti kalici.

Aqua cum Iodio una conquassata vix flavescat.

Iodii milligrammata 200, si cum 500 milligrammatis iodeti kalici in 25 centimetris cubicis aquae soluta et cum guttis aliquot acidi hydrochlorici diluti commixta erunt, thiosulfatis volumetrici centimetros cubicos 15.5 ad 15.7 requirunt ut decolorentur.

Doses maximae singulae milligrammatum 30.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 150.

Iodoformum.

Crystalla sive pulvis coloris citrei, odoris multi, quodammodo crocei. Caloris gradu 115° ad 120um liquescunt et in liquorem obscurissimum mutantur, qui totus evanescit, cum interea vapores violaceos emittit.

Iodoformum in aqua fere non solubile est. Cum spiritus fortioris partibus 60 et cum aetheris partibus 5.5 liquores praebet limpidos, neutrales.

Aqua cum Iodoformo una conquassata, coloris expers perduret; eadem chloreto barytico ne statim turbetur; addito autem nitrate argentico, vel 24 horarum spatio intermisso, non nisi exiguum praecipitati grisei, nedum nigri, deponat.

Doses maximae singulae milligrammatum 150.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 500.

Kreosotum.

Liquor oleaceus, ex Pice liquida a Ligno Fagi paratus.

Neutralis, limpidus, lucem valde refringens, coloris pallide flavescentis, odoris penetrantis fumidi, saporis maxime urentis. Ponderis specifici 1.065 ad 1.085.

Kreosotum in aqua difficulter, in spiritu fortiore vero, in aethere, in chloroformo facile solvitur.

Kreosotum cum aequo volumine collodii conquassatum, mixturam praebeat aequalem liquidam, quae nec tota nec partim formam gelatinosam induat.

Inter caloris gradus 200um et 210um Kreosoti maiorem partem destillari oportet.

Doses maximae singulae milligrammatum 100.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 500.

Lactas ferrosus.

Crusta crystallina plus minus e viridi flava, sive eorum pulvis.

Lactas ferrosus cum aquae frigidae partibus fere 40 aut cum aquae fervidae partibus 12 solutiones praebet e viridi flavas, paululum turbidas, leviter acidas. In spiritu fortiore fere non solvitur.

Lactatis ferrosi milligrammatis 500, in acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 5 solutis, 500 milligrammatis permanganatis kalici admixtis, odor aldehydi percipiatur.

Solutio aquosa, addito cyaneto kalico-ferrico, praecipitatum obscure caeruleum deponit.

Solutio aquosa filtrata (1 = 50), addito acetate plumbico tantummodo opalina fiat; eademque, si acidum hydrochloricum dilutum addideris, aqua hydrosulfurata ne coloretur neve turbetur.

Solutionis aquosae (1 = 50) centimetri cubici 5 cum 10 guttis acidi sulfurici diluti una cocti, ubi refrixerint, si cum excedente portione solutionis hydratis natrici commixti, tum filtrati, ac deinde calefacti erunt, ne colorentur.

Lactatis ferrosi grammate 1 combusto, fere 270 milligrammata Oxydi ferrici remaneant, quae nihil quod in aqua solubile sit, contineant.

+ Lactucarium.

Succus lacteus quem praebet Lactuca virosa L., ex caulis parte superiore pluries abscissa eliquatus et in aëre induratus.

Frusta sicca, irregularia, angulosa vel sphaerae segmentis non dissimilia, e flavo fusca, intus cum recentia sunt albida, postremo fuscescentia. Odor narcoticus, sapor peramarus.

Lactucarium combustum cineris partes centesimas ne plus quam 10 relinquat.

Ad pulverem parandum, Lactucarium, si opus est, supra oxydum calcicum siccetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 300.
Doses maximae in singulos dies grammatis 1.

Lichen islandicus.

Thallus quem praebet Cetraria islandica Ach.

Foliaceus, millimetri summum 0.5 crassus, in lacinias exiens quae saepe sunt canaliculatae vel crispae et crassis ciliis munitae. Altera facies olivaceo-badia, passim ex rubro maculata; altera pallidior, coloris albidi vel grisei, maculis parvis albis depressis obsita; utraque in basi plerumque sanguinea. Lichen islandicus cum siccatus est, cartilagineus et fragilis; humectatus autem mollescit et fit subcoriaceus. Cum aqua coctus gelatinam praebet. Sapor amarus.

+ Lignum Quassiae.

Lignum quod praebent Quassia amara L. et Picraena excelsa Lindl.

Albidum vel paululum flavidum, leve, tenax, fissile; saepe

maculis ex caeruleo nigris notatum; endophloeum similiter. Sapor amarissimus.

Lignum arboris prioris (Lignum Quassiae surinamense) aut decorticatum est, aut cortice tenuissimo, facile separabili, extus sordide cinereo vel fuscescenti obductum.

Alterius (Lignum Quassiae jamaicense) aut decorticatum est, aut arctius cohaeret cum cortice crassiore, extus obscurius fuscescenti.

Ad usum decorticatione non opus est.

+ Lignum santalinum.

Rasura Ligni santalini rubri.

Lignum quod praebet Pterocarpus santalinus L. fil., molitum.

Pulvis ruber, subtilis, levis, floccosus, partim in glebulas laneas conglomeratus, odoris et saporis expers.

Praeferendum id quod „Caliatour" vocatur.

+ Lignum Sassafras.

Lignum radicis, cortice indutum, quod praebet Sassafras officinale Nees.

Cortex paulo crassior, extrorsum spongiosus, introrsum durior et fragilis, intus ferrugineus; lignum leve, fissile, subfuscum vel pallide rubens. Odor valde aromaticus, foeniculaceus, sapor subdulcis.

Lignum trunci vel ramorum ne adhibeatur.

+ Linimentum Ammoniae.

Linimentum volatile.

R.	**Olei Olivarum** partes octoginta	80
	Ammoniae liquidae partes viginti	20

Conquassando redige in mixturam aequalem.

Lycopodium.

Sporae quas praebet Lycopodium clavatum L.

Pulvis pallide flavescens, valde mobilis, tactu mollis, digitis adhaerens, odoris et saporis expers. In aqua natat, et flammae inspersus celerrime sine fumo comburitur.

Sit perfecte siccus.

Ad usum per cribrum n^{i} 40 caulium et foliorum sordibus liberetur, deinde per microscopium, quae sit eius puritas, exploretur.

+ Mel.

Liquor e favis eliquatus quos praebet Apis mellifica L.

Cum recens est, ex albido flavescens, sirupi consistentiae, pellucidus, sensim in massam granulosam opacam abiens, saporis dulcissimi, odoris suavis peculiaris.

Solutio Mellis in aequo pondere aquae facta neutralis sit vel vix acida, et filtrata nullum praecipitatum praebeat cum volumine quadruplici spiritus fortioris.

Mel depuratum.

R.	**Mellis** recentis	100
	Aquae communis, utriusque partes centum	100

Has misce, mixtas loco frigido per 24 horas sepositas filtra, liquorem limpidum in balneo aquae evapora, usquedum pondus mellis adhibiti restitutum erit.

Sit sirupus spissus, limpidus, ponderis specifici 1.300 ad 1.350, qui cum volumine duplici spiritus fortioris permixtus, opalinus fiat licet, at ne turbetur.

+ Mel rosatum.

R.	**Petalorum Rosae** partes octo	8
	Aquae communis fervidae partes quadraginta . . .	40
	Sacchari	36
	Mellis depurati, utriusque partes triginta sex . .	36

Petala Rosae contusa misce cum aqua fervida, mixta per 12 horas sine requiescere; tum exprime et residuum parvis quantitatibus aquae fervidae subige, donec colatura partium 50 facta erit.

Ubi haec desederit, in liquore limpido saccharum solve. Tum evapora in balneo aquae ad partes 64, atque mel adde.

+ Metadioxybenzolum.

Resorcinum.

Crystalla coloris et odoris expertia, quae caloris gradu 110° ad 115um liquescunt, deinde caloris gradu 273° ebulliunt et in sublimatum coloris expers tota convertuntur.

Metadioxybenzolum in aqua, in spiritu fortiore, in aethere solvitur at in chloroformo fere non solubile est.

Solutio aquosa ($1 = 10$) neutralis est; eadem chloretum ferricum colore violaceo inficit; quodsi nitratem argenticum et ammoniam addideris, sensim obscuriorem trahit colorem, cum interea argentum secernitur.

Doses maximae singulae grammatis 1.

Doses maximae in singulos dies grammatum 5.

Moschus.

Materies quam in folliculo prope umbilicum posito inclusum habet Moschus moschiferus L., mas.

Solus is Moschus adhibeatur qui tonquinensis sive tibetanus sive chinensis dicitur.

Grumosus, partim e granulis et glebulis nitoris pinguiusculi consistens, inter quae membranulae fuscae, subdiaphanae conspiciuntur, pilis brevibus et tenerrimis saepe admixtis. Moschus est e nigro fuscus vel e rufo obscure fuscus; terendo in stratum tenue extendi potest; simul clarescit et particulas plus minus resinosas, lucidas, cinereas vel flavicantes exhibet. Odor peculiaris, aromaticus, penetrans et diutissime persistens; sapor subamaro-acer.

Folliculus repletus quam integerrimus sit, fere semiglobosus, turgidus, subcompressus, centimetros 4 ad 7 longus, centimetros 3 ad 4 latus, hinc paulum planus, glaber, illinc convexus et setis e luteo subfuscis obsitus, quae adpressae jacent, sed circum foramina duo subcentralia erectae stant; intus membrana tenui obductus, cuius facies interior flava est vel e rufo fusca.

Ad usum e Moscho membranulae pilique et substantiae alienae quae forte inerunt, expellantur.

+ Mucilago Gummi arabici.

R. **Pulveris Gummi arabici** partes quadraginta. . . . 40
Aquae communis partes sexaginta 60

Gummi in Aqua solve.

+ Mucilago Saleb.

Dilatatio vel Solutio Saleb.

R. **Pulveris Saleb** partem unam 1
Aquae communis fervidae partes nonaginta novem . 99

Conquassando redige in liquorem spissum ex quo sedimentum ne secernatur.

+ Mucilago Tragacanthae.

R. **Pulveris Tragacanthae** partes duas. 2
Aquae communis partes nonaginta octo 98

Pulverem cum pondere aquae vicies tanto maiore in mixturam aequalem redige ac deinde reliquum aquae adde.

+ Myrrha

Succus gummiresinosus quem praebet Balsamea Myrrha Engler ex trunco et ramis eliquatus et in aëre induratus.

Frusta irregularia, varia magnitudine. Subflava vel subrubra vel fusca, intus saepe passim albida, superficie inaequali, saepe pulverulenta, fragilia, in fractura cerae instar nitentia vel opaca; frustula minora paene pellucida sunt. Odor aromaticus, sapor amarus, constanter acer.

Myrrha cum aqua emulsionem praebet pallide luteam, quo in liquore circiter duae eius partes tertiae solvuntur. In spiritu fortiore pars fere tertia Myrrhae solvitur, liquorem exhibens limpidum, e rubro flavum.

Pulvis Myrrhae acido nitrico humectatus et in patinula porcellanea leviter calefactus colorem trahat pulchre rubrum.

+ Naphtalinum.

Lamellae crystallinae, coloris expertes, pellucidae, nitidae, odoris peculiaris, penetrantis, quae caloris gradu 80° liquescunt in liquorem qui caloris gradu 218° ebullit et totus in sublimatum mutatur.

Naphtalinum in aqua fere non solvitur, at in aethere, in chloroformo, in sulfido carbonico facile solubile est; item, si calefeceris, in spiritu fortiore, in oleis pinguibus, in oleis aethereis.

Doses maximae singulae milligrammatum 300.

Doses maximae in singulos dies grammatis 1.

+ Naphtolum.

Iso- vel β **Naphtolum.**

Lamellae crystallinae, coloris expertes, nitidae, sive pulvis crystallinus albus.

Naphtolum leviter phenolum redolet, caloris gradu 123° liquescit in liquorem, qui gradu 286° ad 290um ebullit et totus evanescit.

In aquae fervidae partibus 75 solubile est, vix autem in aqua frigida, at facillime in spiritu fortiore, in aethere, in chloroformo, in oleis pinguibus, in liquoribus alcalinis; ex quibus liquoribus alcalinis, quum acido aliquo saturantur, rursus secernitur.

Aquae Naphtolo saturatae centimetri cubici 10, addita aqua chlorata, turbidum praebent liquorem, qui per ammoniam primum limpidus fit, tum viridis, postremo ex rubicundo fuscus.

Nitras argenticus.

Crystalla pellucida, coloris expertia, quae calore liquescunt ac deinde dissolvuntur, cum interea vapores rubros emittunt.

Nitras argenticus in aquae parte 0.6, in spiritus fortioris partibus 11 solvitur, item nullo colore in ammonia.

Solutio aquosa neutralis est; ex qua acidum hydrochloricum praecipitatum secernit album, floccosum, in ammonia solubile, in acido nitrico non item.

Solutio 200 milligrammatum Nitratis argentici si per acidum hydrochloricum argento liberata erit, ex filtrato evaporato ne quid ponderabile remaneat; chloreti autem argentici praecipitati et siccati collecta sint milligrammata 168.

Doses maximae singulae milligrammatum 30.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 200.

Nitras argenticus fusus.

Lapis infernalis.

Bacilli albi vel cinerei, fractura radiata, qui iisdem legibus puritatis satisfaciant quibus Nitras argenticus.

Nitras bismuthicus basicus.

Magisterium Bismuthi.

Pulvis crystallinus albus, qui chartam exploratoriam caeruleam humectatam rubefacit; calore vapores fuscos emittit.

Nitras bismuthicus basicus cum acido hydrochlorico, cum acido sulfurico diluto, cum acido nitrico, solutiones praebet coloris expertes, nec tamen effervescit.

Nitratis bismuthici basici milligrammatis 500 in 2 centimetris cubicis acidi nitrici calefacti solutis, additis aquae centimetris cubicis 25, is liquor limpidus sit neve nitrate barytico neve nitrate argentico turbetur; quodsi per ammoniam bismutho liberatus erit, liquorem praebeat coloris expertem, quo evaporato, postquam residuum leni calore excandefeceris, ne quid ponderabile supersit.

Nitratis bismuthici basici milligrammata 400, in centimetris cubicis 4 acidi hydrochlorici calefacti soluta, si cum aequo volumine chloreti stannosi calefiunt, ne turbentur neve colorentur.

Nitras bismuthicus basicus, addita solutione hydratis natrici, odorem ammoniae ne spargat.

Nitras busmuthicus basicus, cum calefit, Oxydi bismuthici flavi partes centesimas 78 ad 82 relinquat.

Nitras kalicus.

Pulvis crystallinus albus.

Nitras kalicus flammam non fulgentem colore violaceo constanti inficit; aquae frigidae partibus 4 vel fervidae 2 admixtis solutiones neutrales praebebit.

Solutio aquosa (1 = 20), addita excedente portione acidi tartarici, praecipitatum album crystallinum deponit; eademque cum solutione sulfatis ferrosi commixta, si acidum sulfuricum addideris, colorem trahet e fusco nigrum. Chloreto barytico, carbonate natrico, sulfohydrate ammonico, aqua hydrosulfurata ne turbetur neve coloretur; addito nitrate argentico ne statim opalina fiat.

Nitras natricus.

Crystalla pellucida, coloris expertia.

Nitras natricus flammam non fulgentem colore flavo constanti inficit; idem cum aquae parte 1.3 solutionem praebet neutralem.

Solutio aquosa (1 = 20), addita acidi tartarici excedente portione, praecipitatum non deponit; eademque cum solutione sulfatis ferrosi commixta, si acidum sulfuricum addideris, colorem trahet e fusco nigrum.

Chloreto barytico, carbonate natrico, sulfohydrate ammonico, aqua hydrosulfurata ne turbetur neve coloretur; addito nitrate argentico ne statim opalina fiat.

Nitras Strychnini.

Crystalla nitida, acubus simillima, coloris expertia, quae, cum comburuntur, nihil relinquunt.

Nitras Strychnini in aquae fervidae partibus 3 solubilis est, difficilius autem in aqua frigida et in spiritu fortiore.

In acido hydrochlorico fervido solvitur colore sanguineo, qui deinde in colorem e fusco rubrum mutatur.

Solutio aquosa saturata, addito bichromate kalico, crystalla praebet, quibus acidum sulfuricum colorem primum caeruleum, deinde violaceum inducit.

Nitras Strychnini in acido sulfurico nullo colore solvetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 5.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 20.

Nitris aethylicus cum Spiritu.

Spiritus Nitri dulcis.

R. **Spiritus fortioris** partes centum 100
Acidi nitrici partes viginti tres 23

Destilla in balneo aquae donec transierint
partes nonaginta 90

Destillâtum conquassa cum
Oxydi magnesici parte una 1

et in balneo aquae rectifica.

Sit liquor limpidus, coloris pallidissime flavi, odoris suavis, ponderis specifici 0.840 ad 0.850, reactionis neutralis aut levissime acidae, qui cum evaporatur nihil relinquit.

Nitritis aethylici cum Spiritu centimeter cubicus 1, si tanta aqua dilutus erit ut confecti sint centimetri cubici 20, eius mixturae centimetri cubici 2, additis centimetris cubicis 2 solutionis sulfatis ferrosi (15 = 100) in acido hydrochlorico diluto factae, manifestum etiam trahant colorem inter olivaceum et e fusco flavum.

Nitritis aethylici cum Spiritu centimetros cubicos 5 si cum ammoniae centimetris cubicis 10 commiscueris, mixtisque centimetros cubicos 2 solutionis ex 1 parte iodii et 2 partibus iodeti kalici et aquae partibus 17 compositae addideris, praecipitatum secernetur nigrum, quod tempore rursus solvetur. Quodsi centimetros cubicos 2 aut plures eiusdem solutionis ad mixturam insuper adjeceris, crystalla iodoformi ne appareant, ne dimidia quidem horae parte intermissa.

Olea.

Olea tam pinguia quam volatilia sint limpida neve adulterina.

Olea pinguia ne habeant odorem aut saporem rancidum; Olea volatilia gravissime redoleant substantias ex quibus parata sunt.

Una gutta Olei volatilis in aquam instillata, in ambitu ne turbetur. Olea volatilia in balneo aquae calefacta ne quid destillati gignant.

Olea volatilia in chartam instillata calore plane evanescant neve maculam pellucidam relinquant.

Oleum Amygdalarum.

Parandum ex seminibus quae offert Prunus Amygdalus Stokes, contusione et expressione bis repetitis.

Ubi desederit Oleum limpidum defunde, residuum filtra. Oleo imple lagenas siccas, bene obturandas.

Oleum pingue limpidum, subflavum, quod non arescit, saporis mitis, odoris expers, quodque frigoris gradu —10° liquidum manet, ponderis specifici 0.915 ad 0.920.

Huius Olei centimetri cubici 4 si conquassantur cum acidi nitrici centimetris cubicis 4, Oleum colorem flavum, aut fulvum, aut russeum ne trahat; huic mixturae si aliquantum hydrargyri additur, Oleum post aliquot horas in massam solidam, paene albam abierit.

Oleum Anisi.

Oleum volatile e Fructibus Anisi destillatione paratum.

Coloris expers vel leviter flavescens, lucem valde refringens, ponderis specifici 0.980 ad 0.990, saporis subdulcis, peculiaris aromatici, quod caloris gradu 9° iam solet concrescere in massam crystallinam, ac rursus gradu 15° demum liquescit.

In 2 voluminibus spiritus fortioris solubile sit.

Oleum Aurantiorum.

Oleum volatile ex Cortice recenti Fructus Aurantii expressione paratum.

Coloris subflavi, odoris grati, saporis peculiaris leviter amari, ponderis specifici 0.850 ad 0.870.

In spiritus fortioris voluminibus 7 solubile.

Oleum Cacao.

Butyrum Cacao.

Oleum pingue solidum, ex Seminibus quae fert Theobroma Cacao L., leviter tostis et decorticatis, expressione paratum.

Coloris e flavido albi, saporis mitis, odoris suavis, iam caloris gradu circiter 30° in liquorem limpidum liquescens.

Cum aetheris partibus 2 limpidam praebeat solutionem.

+ Oleum Cajuputi.

Oleum volatile e Foliis recentibus quae fert Melaleuca minor Smith destillatione paratum.

Coloris subflavi vel viridiculi, odoris et saporis peculiaris, camphoracei, ponderis specifici 0.920 ad 0.930.

Quantumcumque spiritus fortioris addideris, limpidam praebeat mixturam.

+ Oleum Cajuputi depuratum.

R.	**Olei Cajuputi** partes centum	100
	Aquae communis partes sexcentas	600

Destilla. Aqua diligenter discreta, Oleum asserva.

Oleum limpidum, coloris expers vel subflavus, odoris et saporis Olei Cajuputi.

+ Oleum Caryophyllorum.

Oleum volatile ex alabastris siccatis quae fert Eugenia caryophyllata Thunb., destillatione paratum.

Recens paratum coloris fere expers est, sed paullatim flavescit, postremo colorem e rubro fuscum trahit. Odor peculiaris, sapor acriter aromaticus. Pondus specificum 1.041 ad 1.060.

Quantumcumque spiritus fortioris addideris, limpidam praebeat mixturam.

Cum aequo volumine solutionis hydratis natrici conquassatum, abeat in massam crystallinam, mollem, flavam.

+ Oleum Cinnamomi.

Oleum volatile ex Cortice Cinnamomi destillatione paratum.

Flavum est sed tempore colorem trahit e flavo rubescentem vel subfuscum et tardius liquet. Odor gratus, sapor primum subdulcis, deinde peculiariter aromaticus; reactio leviter acida. Sit ponderis specifici 1.020 ad 1.040.

Quantumcumque spiritus fortioris addideris, limpidam praebeat mixturam.

Oleum Citri.

Oleum volatile ex Cortice recenti Fructus quem fert Citrus Limonum Risso, expressione paratum.

Sit tenue liquidum, coloris subflavi, odoris pergrati, ponderis specifici 0.840 ad 0.855.

In spiritus fortioris voluminibus minus quam 6 solubile sit.

Oleum Crotonis.

Oleum pingue ex seminibus quae fert Croton Tiglium L. expressione paratum.

Limpidum, coloris e flavo fusci, saporis primum mitis, mox autem acerrimi.

Cum quantovis volumine alcoholis absoluti limpidam praebeat mixturam.

Doses maximae singulae milligrammatum 50.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 100.

Oleum Foeniculi.

Oleum volatile e Fructibus Foeniculi destillatione paratum.

Coloris expers vel subflavum, ponderis specifici 0.950 ad 0.990, saporis peculiaris subdulcis; frigore crystalla foliacea secernit vel solidescit.

Cum spiritus fortioris dimidio volumine limpidam praebeat mixturam.

Oleum Jecoris Aselli.

Oleum pingue ex recenti iecore, quod habet Gadus Morrhua L. paratum.

Sit limpidum, coloris pallide flavi vel aurei, odoris et saporis peculiaris, ponderis specifici 0.923 ad 0.928.

Huius Olei guttis 5 si addideris acidi sulfurici guttam 1, in iis locis ubi inter se contigerint, oriatur color violaceus pulcher, qui mox dum omnia misces, reliquum oleum tinguet ac deinde in colorem cerasinum, postremo fuscum abibit.

Guttis Olei Jecoris Aselli 10 si addideris acidi nitrici guttas 3, in iis locis ubi inter se contigerint, oriatur color roseus, qui mox dum omnia misces, reliquum oleum tinguet, ac brevi in colorem flavescentem abibit.

Charta exploratoria caerulea, spiritu madefacta, Oleo Jecoris Aselli vix rubefiat.

Oleum Jecoris Aselli glaciei liquescentis frigore ne post longum quidem intervallum concrescat; granula, si qua interea secernuntur, paucissima sunto.

+ Oleum Jecoris Aselli cum Benzoate ferrico.

Oleum Jecoris Aselli ferratum.

R. **Benzoatis ferrici** partem unam 1
Olei Jecoris Aselli partes nonaginta novem 99

Salem perfecte siccum sensim misce cum oleo, mixtum calefac caloris gradu circiter 30°, donec sal solutus erit.

Oleum Jecoris Aselli cum Benzoate ferrico sit limpidum, e rubro fuscum.

Eiusdem grammata 20, cum comburuntur, fere 40 milligrammata Oxydi ferrici relinquant, quod respondet partibus centesimis Ferri 0.14.

+ Oleum Jecoris Aselli cum Iodeto ferroso.

R. **Iodii** pulverati partes quinque 5
Olei Jecoris Aselli partes trecentas nonaginta quatuor 394
Ferri pulverati partes decem 10

Lagenam epistomio vitreo praeditam prope ad summum

usque oleo imple, hac conquassanda iodium solve. Ferrum pulveratum adde, conquassa donec oleum colorem violaceum trahat, ac dum huius solutionis, cum per 24 horas quieverit, gutta 1 solutionem iodeti kalici cum amylo iam non coloret.

Praeparatum ubi desederit, transfunde in lagenulas vitreas flavas, quae grammata 50 capiant, has deinde diligenter obtura.

Sit Oleum coloris violacei, iodio dissoluto plane liberum.

Olei Jecoris Aselli cum Iodeto ferroso grammata 20, cum comburuntur, fere 77 milligrammata Oxydi ferrici relinquant, quod correspondet parti centesimae Iodeti ferrosi 1.5.

+ Oleum Lauri.

Oleum unguinosum e Fructibus recentibus quos fert Laurus nobilis L. expressione paratum.

Granosum, coloris e flavo viridis; constat ex oleis volatili et pingui commixtis, odoris peculiaris aromatici.

In alcoholis absoluti calefacti partibus 2 solubile sit.

+ Oleum Lavandulae.

Oleum volatile ex Floribus quos fert Lavandula vera D. C. destillatione paratum.

Coloris expers vel pallide flavum, odoris grati, ponderis specifici 0.885 ad 0.895.

Quantumcumque spiritus fortioris addideris, limpidam praebeat solutionem.

Oleum Lini.

Oleum pingue ex Semine Lini expressione paratum.

Limpidum, flavum vel ex subfusco flavum, exarescens, odoris peculiaris, frigoris gradu —20° etiam fluidum, ponderis specifici 0.930 ad 0.940.

+ Oleum Macidis.

Oleum volatile ex Arillis quae fert Myristica fragrans Houtt. destillatione paratum.

Coloris expers vel subflavum, odoris et saporis aromatici.

Oleum Menthae piperitae.

Oleum volatile e Foliis Menthae piperitae destillatione paratum.

Coloris expers vel subflavi, ponderis specifici 0.900 ad 0.920, odoris et saporis peculiaris, in lingua respirantis sensum frigoris excitans.

Solutio guttarum 5 Olei in acidi acetici glacialis guttis 20 facta sensim colorem trahit saturate caeruleum, qui colore cupreo renidet.

Quantumcumque spiritus fortioris addideris, limpidam praebeat solutionem.

+ Oleum Myristicae.

Oleum Nucistae.

Oleum pingue solidum ex Semine Myristicae expressione paratum.

Flavidum, passim albidum vel subfuscum, grumosum. Constat ex oleo pingui et oleo volatili; redolet et sapit Semen Myristicae.

Caloris gradu 40° ad 45um in liquorem subfuscum, non plane limpidum liquescit.

Cum spiritus fortioris partibus 10 una calefactum solutionem praebeat paene limpidam.

Oleum Olivarum.

Oleum pingue e Fructibus maturis quos fert Olea europaea L. expressione paratum.

Limpidum, coloris subflavi, ponderis specifici 0.915 ad 0.918, saporis mitis, frigore modico primum particulas solidas deponit, deinde glaciei liquescentis frigore in massam granosam concrescit.

Olei centimetri cubici 4 si conquassantur cum acidi nitrici centimetris cubicis 4, Oleum colorem subrubrum, aut subfuscum ne trahat; huic mixturae si aliquantum hydrargyri additur, Oleum post aliquot horas in massam solidam, paene albam abierit.

Oleum Ricini.

Oleum pingue ex Seminibus quae fert Ricinus communis L. expressione paratum.

Limpidum, coloris expers vel paulum flavescens, spisse fluens, ponderis specifici 0.950 ad 0.970. Glaciei liquescentis frigore circiter spissescit et particulas albas deponit; ingravescente autem frigore in massam butyraceam concrescit.

Cum aequo volumine spiritus fortioris limpidam praebeat mixturam.

+ Oleum Rosarum.

Oleum volatile ex Petalis recentibus quae fert Rosa damascena Mill. destillatione paratum.

Liquor coloris expers vel pallide flavi, odoris suavis, in quo vel paulo infra temperaturam solitam crystalla acicularia aut lamellaria nascuntur; ingravescente autem frigore in massam solidam crystallinam concrescit.

Cum spiritu fortiore turbidam praebeat mixturam.

+ Oleum Rosmarini.

Oleum volatile ex Herba florenti quam praebet Rosmarinus officinalis L. destillatione paratum.

Coloris expers vel pallide flavi, odoris camphoracei, saporis acriter aromatici, ponderis specifici 0.880 ad 0.913.

Cum dimidio volumine spiritus fortioris limpidam praebeat mixturam.

Oleum Sabinae.

Oleum volatile ex Herba Sabinae destillatione paratum.

Coloris expers vel pallide flavi, odoris peculiaris, saporis acris, ponderis specifici 0.920 ad 0.950.

Cum aequo volumine spiritus fortioris limpidam praebeat mixturam.

+ Oleum Sinapis.

Oleum volatile ex Semine Sinapis destillatione paratum.

Limpidum, tenuiter liquens, coloris expers vel pallide flavum, ponderis specifici 1.015 ad 1.022, odoris valde pungentis.

Quantumcumque spiritus fortioris addideris, limpidam praebeat solutionem.

Acidi sulfurici guttas 25 et huius Olei guttas 4 commixtas leniter conquassando, paulatim exsistat solutio plane limpida, quae subflava sit licet, at ne fusca.

Olei gramma 1 si cum spiritus fortioris grammate 1 et ammoniae grammatis 2 una conquassantur, sensim exsistet liquor limpidus, subflavus, qui, leni calore in balneo aquae ad 1.1 grammatis evaporatus, cum refrigescit totus solidescat. Haec massa crystallina cum aquae pondere duplici calefacta, solutionem praebeat limpidam, cepas leviter redolentem, saporis subamari.

Oleum Terebinthinae depuratum.

R.	**Olei Terebinthinae crudi** partes centum	100
	Aquae communis partes quadringentas	400

Destilla donec omne fere Oleum transierit.

Oleum volatile limpidum, coloris expers, odoris peculiaris, ponderis specifici 0.855 ad 0.865.

Cum 4 voluminibus spiritus fortioris praebeat solutionem, quae chartam exploratoriam caeruleam humectatam ne rubefaciat.

+ Oleum Valerianae.

Oleum volatile ex Radice Valerianae destillatione paratum. Coloris ex subfusco-flavi viridescentis, ponderis specifici 0.930 ad 0.960, odoris et saporis ingrati; chartam exploratoriam caeruleam humectatam manifesto rubefacit.

Cum dimidio volumine spiritus fortioris limpidam praebeat mixturam.

+ Olibanum.

Succus gummiresinosus quem praebent Boswellia Carteri Birdw. aliaeque generis Boswellia Roxb. species, sua sponte ex trunco eliquatus vel incisionibus factis ex eo elicitus et in aëre induratus.

Grana oblonga vel subglobosa, saepe inter se cohaerentia, sicca, fragilia, fractura vitrea, externe pulverulenta, opaca vel subpellucida, albida vel paulum flavescentia aut subrubescentia. Calefacta non plane liquescunt et odorem balsamico-resinosum spargunt. Cum manducantur mollescunt. Odor exiguus, aromaticus; sapor aromaticus, subacer, amariusculus, refrigerans.

Opium.

Succus lacteus, ex Capsulis immaturis elicitus quas fert Papaver somniferum L., quod in Asia Minore colitur, in aëre inspissatus et siccatus (Opium smyrnaeum).

Massa fusca, extus compacta, intus mollior et subinaequalis, cum perfecte sicca est, fragilis, in fractura subnitida. Eius prostant globi plus minus irregulariter compressi, qui

Papaveris foliis involuti et Rumicis speciei cuiusdam fructibus conspersi solent. Odor narcoticus; sapor acriter amarus.

Pulvis paratus ex Opio quod calore 50° summum siccatum erit, Morphini contineat partes centesimas 10; Extracti sicci ne minus praebeat quam partes centesimas 50. Quantum insit Morphini sic explora:

Hydratis calcici gramma 1 misce cum aquae grammatis 10 et Pulveris Opii grammatis 3; huic mixturae aquae adde tantum, quantum pondus efficiat grammatum 32.5; per horas non minus quam 12 macera, crebro conquassando, tum filtra; filtrati grammata 20 cum aetheris centimetris cubicis 10 et benzoli guttis 5 conquassa, in iisque solve chloreti ammonici milligrammata 250, leniter conquassans. Mixtura etiam atque etiam conquassata, post horas 24 stratum aetheris tolle; iterum conquassa cum aetheris centimetris cubicis 5, iterumque strato dempto crystalla secreta collige. Haec ablue primum aqua, donec ea diffluens iam non coloretur, tum centimetris cubicis 5 spiritus (40 in 100), postremo sicca caloris gradu 100°.

Quod Morphini secretum erit, id pondus habeat milligrammatum 200, quod respondet proportioni postulatae. Pulverem Opii, cui minus insit, non licet adhiberi. Si cui forte plus inerit, is Pulvis, admixto Amylo Solani, ad iustam proportionem redigatur.

Morphinum secretum in volumine centuplici aquae calcis plane sit solubile. Cum comburitur nihil paene relinquat.

+ Oxalas cerosus.

Pulvis albus, saporis expers, qui dum calefit dissolvitur, quo facto cineris partes centesimae 47 vel 48 supererunt, cuius pulveris color inter flavum et fuscum ambigat.

Oxalas cerosus in aqua solubilis non est; addito acido

hydrochlorico calefacto, solutionem praebet quae aqua hydrosulfurata ne turbetur neve coloretur.

Solutio hydratis natrici, si cum Oxalate ceroso una cocta ac deinde diluta et filtrata erit, chloreto ammonico aut sulfohydrate ammonico non turbabitur; ea, acido acetico supersaturata, addito chloreto calcico, praecipitatum album praebebit.

Doses maximae singulae milligrammatum 100.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 600.

+ Oxydum calcicum.

Frusta alba vel pallide cinerea, dura, quae dimidia parte aquae conspersa calefiunt atque turgescunt et in pulverem minutum dilabuntur, qui fere totus in acido hydrochlorico solvitur, nec tamen effervescit.

+ Oxydum cupricum.

Pulvis mollis, niger, minutissimus; cum acido nitrico diluto calefacto solutionem praebet pallide caeruleam nec tamen effervescit; quae solutio excedente portione ammoniae addita, colorem obscure caeruleum trahit.

Aquae admixtus partes solubiles ne secernat; quodsi calefit, vapores coloratos ne emittat.

+ Oxydum hydrargyricum.

Mercurius praecipitatus ruber.

Pulvis minutissimus, gravis, ruber sine nitore, nullis punctis fulgentibus. Calore totus evanescit, nec tamen vapores acidos emittit.

Cum acido hydrochlorico solutionem praebet coloris expertem, quae si ammonia supersaturatur, praecipitatum album deponit.

Oxydum hydrargyricum flavum.

Pulvis minutissimus, gravis, flavus.

Eius milligrammata 300, si in balneo aquae cum acidi oxalici milligrammatis 600 et aquae centimetris cubicis 3 una calefiunt, in salem album abeunt.

Solutio milligrammatum 250 Oxydi hydrargyrici flavi in centimetris cubicis 10 acidi acetici diluti calidi facta, nitrate argentico, addita parva acidi nitrici quantitate, tantummodo opalina fiat.

Cum acido hydrochlorico solutionem praebeat coloris expertem, quae si ammonia supersaturatur, praecipitatum album deponit.

Oxydum magnesicum.

Magnesia usta.

Pulvis minutus, aequalis, albus, levissimus; cum acido hydrochlorico diluto solutionem praebet limpidam, coloris expertem, quae si ammonia liquida supersaturatur, addito phosphate natrico, praecipitatum deponit.

Oxydi magnesici milligrammatis 200 et aquae centimetris cubicis 10 una coctis, is liquor postquam subsederit et filtratus erit, reactionem nonnisi leviter alcalinam praebeat; idem cum evaporatur, vix vestigia quaedam materiae solidae relinquat. Puls magnesiae residua, excedente portione acidi hydrochlorici addita, liquorem praebeat limpidum coloris expertem, cum interea aut non aut vix effervescat, qui liquor aqua hydrosulfurata ne immutetur; idem, ammonia liquida saturatus, sulfohydrate ammonico ne statim obscuretur.

Solutio Oxydi magnesici (1 = 50) in aqua et acido nitrico diluto facta, nitrate barytico ne statim turbetur; eademque, addito nitrate argentico, tantummodo opalina fiat.

+ Oxydum plumbicum semivitreum.

Lithargyrum.

Squamae e flavo rubrae, nitidae, aut pulvis rubore aurantiaco.

Oxydum plumbicum semivitreum in acido nitrico diluto fere non effervescens aut totum solvitur, aut aliquantulum materiae subfuscae relinquit, quae statim evanescet, simulac paululum acidi oxalici addideris.

Oxydi plumbici semivitrei milligrammatis 500 et acido acetico una coctis, ne plus quam 10 milligrammata non soluta supersint. Ea solutio, cum excedente portione acidi sulfurici diluti commixta, ac deinde filtrata, si ammonia liquida supersaturata erit, caeruleum colorem ne trahat et praecipitatum perexiguum deponat. Liquor ab hoc praecipitato defiltratus, cum evaporatur, residuum relinquat, quod si vehementius calefit fere totum evanescat.

Oxydum zincicum.

Flores Zinci.

Pulvis albus vel ex subflavo albus, mollissimus, qui dum calefit flavum trahit colorem, rursus evanescentem dum refrigescit.

Aqua cum Oxydo zincico una cocta, addito chloreto barytico vel nitrate argentico, tantummodo opalina fiat; quodsi evaporatur, vix vestigia quaedam residui relinquat.

Cum acido acetico liquorem praebeat coloris expertem, nec tamen effervescat, qui liquor, cum excedente portione ammoniae commixtus, limpidus et coloris expers perduret. Hunc nec oxalas ammonicus nec phosphas natricus, insuper additi, turbidum reddant.

Solutioni Oxydi zincici in acido acetico factae si stratum aquae hydrosulfuratae superinfuderis, id praecipitatum quod in superficie contermina utriusque liquoris exstiterit, pure album sit.

+ Oxymel Scillae.

R. **Aceti Scillae** partes quinquaginta 50
Pulveris Sacchari 25
Mellis depurati, utriusque partes viginti quinque. 25

Saccharum solve in melle, quod in balneo aquae calefeceris; deinde, ubi liquor fere refrixerit, ei admisce acetum Scillae.

+ Oxymel simplex.

R. **Acidi acetici** partes quinque. 5
Mellis depurati partes nonaginta quinque 95

Misce.

+ Paraffinum liquidum.

Liquor oleaceus, coloris expers, qui paratur ex Petroleo crudo. Pondus specificum sit inter 0.84 et 0.86.

Spiritus fortior vel aqua, cum Paraffino conquassata, reactionem neutralem exhibeant.

+ Paraffinum solidum.

Massa solida, alba, odoris expers, microcrystallina, quae paratur ex substantia quae dicitur „Ozokeriet". Caloris gradu 75° ad 80um liquescit.

Spiritus fortior vel aqua, cum Paraffino liquefacto conquassata, reactionem neutralem exhibeant.

+ Pepsinum.

Pulvis tenuis, e griseo albus, qui paratur ex membrana mucosa stomachorum porcorum, ovium vel vitulorum, cuique vulgo admixtum est saccharum lactis vel amylum.

Cum aqua Pepsinum liquorem praebet turbidum, qui additis aliquot guttis acidi hydrochlorici limpidior fit.

Ut Pepsinum probes, milligrammata 100 eius solve in aquae grammatis 150 et acidi hydrochlorici grammatis 2.5. Tum albuminis ovi leviter cocti grammata 10 per cribrum B. 10 contere eaque solutioni illi admisce valide atque crebro agitans, caloris gradu 40°. Quodsi intra 6 horarum spatium albumen non solutum erit, Pepsinum illud reiciendum est.

+ Permanganas Kalicus.

Crystalla acubus simillima, coloris obscurissime violacei, nitida, in aquae partibus 15 solubilia, quorum 1 pars 50 millibus partium aquae destillatae colorem rubrum inducit, rursus evanescentem, si materiae reducentes solutae adduntur.

Spiritus fortioris centimeter cubicus 1 et aquae 12 commixti et cum 250 milligrammatis Permanganatis kalici una cocti, cum filtrati erunt, liquorem praebebunt coloris expertem, qui per acidum nitricum acidus factus, nitrate barytico aut nitrate argentico ne statim turbetur.

Permanganatis kalici milligrammata 100 in aquae centimetris cubicis 50 soluta, additis solutionis iodeti kalici ($1 = 10$) centimetris cubicis 10 et acidi hydrochlorici totidem, ut decolorentur, centimetros cubicos thiosulfatis volumetrici ne minus quam 30.9 requirant, id quod respondet partibus centesimis 97.5 Permanganatis kalici puri.

+ Petala Rhoeados.

Petala quae fert P a p a v e r R h o e a s L.

Transverse ovalia vel obovata, centimetros circiter 5 lata, in basi saepe macula ex purpureo nigricanti notata. Cum recentia sunt, coccinea, odoris leviter narcotici; siccata autem sordide purpurea, odoris fere expertia, tenera, paene pellucida, valde corrugata. Sapor submucilaginosus, amariusculus.

+ Petala Rosae.

Petala quae fert Rosa gallica L., de floribus semiplenis antequam plane se explicarent collecta.

Suborbicularia vel late obovata, intense purpurascentia, ungue flavescenti. Odor gratus; sapor subadstringens et amaricans.

Phenolum.

Acidum phenylicum.

Acidum carbolicum.

Crystalla coloris expertia, singularia, odoris peculiaris, quae in balneo aquae calefacta, caloris gradu 39° ad 42um liquescunt ac deinde paulatim tota evanescunt.

Phenolum in spiritu fortiore, in aethere, in chloroformo, in solutione hydratis natrici facile solvitur, neque plus quam 15 partes aquae requirit ut totum solvatur. Quae solutio aquosa chartam exploratoriam caeruleam colore aut nullo aut leviter rubro inficit; eademque, addita excedente portione aquae bromatae, praecipitatum album deponit; quodsi aliquot guttas chloreti ferrici solutioni addideris, color exsistet valde obscurus, qui in violaceum mutabitur, cum liquor aqua diluetur.

Doses maximae singulae milligrammatum **100.**

Doses maximae in singulos dies milligrammatum **500.**

Phenolum liquefactum.

R. **Phenoli** partes centum 100

Aquae partes viginti 20

Has misce.

Liquor limpidus, coloris aut nullius aut perexigui, ponderis specifici 1.065 ad 1.075, qui cum ad caloris gradum 4um refrigeratur, liquidus permanet, quique in aquae partibus 12.3 totus solvitur. Haec solutio iisdem legibus satisfaciat quibus solutio Phenoli in aquae partibus 15 facta.

Phosphas calcicus.

R. **Acidi hydrochlorici** partes quinquaginta 50

Has aequo volumine aquae dilue, et paulatim adde

Oxydi calcici partes decem 10

ante exstincti.

Hunc liquorem, quem alcalinum esse oportet, filtra et per acidum aceticum acidum redde, deinde coque quoad ebulliat, postremo assidue agitando commisce paulatim cum

Phosphatis natrici partibus sexaginta una 61

quas ante solveris in

Aquae partibus trecentis 300

Praecipitatum collige et usque eo ablue, donec aqua defluens, per acidum nitricum acida facta, addito nitrate argentico, tantummodo opalina fiat. Tum exprime et exsicca.

Pulvis minutus, levis, crystallinus, albus, qui in acido hydrochlorico et in acido nitrico solvitur, nec tamen effervescit; idem nitrate argentico humectatus, flavam praebet mixturam, quae chartam exploratoriam caeruleam rubefacit.

Aquae partes 20 cum 1 parte Phosphatis calcici una conquassatae ac deinde filtratae, si paululum acidi nitrici addideris, nitrate barytico ne turbentur; addito nitrate argentico tantummodo opalinae fiant.

Phosphas calcicus, si sulfohydrate ammonico humectatur, ne obscuretur.

Phosphatis calcici gramma 1 et acidi hydrochlorici diluti centimetri cubici 10 et frustulum zinci, si iisdem conditionibus atque in acido hydrochlorico praescriptum est, in unum coniciuntur, is locus, qui nitrate argentico (1 = 2) imbutus erit, intra quadrantis horae spatium ne coloretur.

+ Phosphas natricus.

Crystalla coloris expertia, pellucida, fatiscentia; quae dum calefiunt aquam exsudant et liquescunt; flammam non fulgentem colore flavo constanti inficiunt. In aquae partibus circiter 8 solvuntur, in spiritu fortiore non item.

Solutio aquosa (1 = 20) alcalina est; eadem, addito nitrate argentico, praecipitatum praebet flavum, in acido nitrico et in ammonia solubile.

Solutio aquosa (1 = 20), per acidum nitricum acida facta, nitrate argentico ne statim turbetur, neve nitrate barytico; neve aut turbetur aut coloretur per excedentem portionem ammoniae, ne addito quidem sulfohydrate ammonico.

Phosphatis natrici grammata 2, si centimetris cubicis 10 acidi sulfurici diluti subiguntur eo modo quo in acido hydrochlorico praescriptum est, is locus, qui nitrate argentico imbutus erit, ne coloretur, ne quadrante quidem horae intermisso.

+ Phosphorus.

Bacilli nitidi, plus minusve pellucidi, pallide flavi, quorum superficies strato tenui albo saepe tecta est.

Phosphorus in tenebris relucet, in aëre autem nebulam spargit quae allium redolet. Facile incenditur et sub aqua caloris gradu 44° liquescit.

In aqua neutiquam solvitur, paulo melius in spiritu fortiore, plus etiam in aethere et in oleis pinguibus vel aethereis, optime autem in sulfido carbonico.

Phosphorus aqua submersus in lagena obturata, vase aeneo circumdata, asservandus est.

Doses maximae singulae milligrammatis 1.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 5.

+ Pilulae Blaudii.

R **Sulfatis ferrosi exsiccati** pulverati grammata octo . 1

Glycerini cum Tragacantha grammata quatuor . . 4

Carbonatis kalici pulverati grammata sex et dimidium. 6.5

Oxydi magnesici gramma unum 1

Sulfatem ferrosum et glycerinum cum tragacantha commisce; tum, additis reliquis substantiis, inde para Pilulas 100, quas Lycopodio conspergas vel Argento foliato involvas.

Singulae Pilulae tantum substantiarum contineant quantum opus est ad Carbonatis ferrosi milligrammata 50.

+ Pilulae Iodeti ferrosi.

Pilulae Blancardi.

R.	**Ferri pulverati** grammata viginti	20
	Aquae grammata duodecim	12
	Iodii grammata quadraginta unum.	41
	Pulveris Sacchari Lactis grammata viginti quatuor	24
	Pulveris Succi Liquiritiae	40
	Pulveris Radicis Liquiritiae, utriusque grammata quadraginta	40

Ferrum pulveratum cum aqua misce, tum particulatim adde iodium, ac ubi color fuscus evanuerit, reliquas substantias admisce; inde para Pilulas 1000; has in Ferro pulverato revolve; ubi satis duruerint, cum solutione aetherea Balsami tolutani conquassa, deinde exsicca.

Singulae Pilulae contineant Iodeti ferrosi milligrammata 50.

+ Pilulae laxantes.

R.	**Extracti Aloës** grammata duo	2
	Saponis medicati	6
	Pulveris Radicis Rhei, utriusque grammata sex	6

Inde para Pilulas 100, quas Lycopodio conspergas vel Argento foliato involvas.

+ Pilulae Sulfatis Chinini.

R. **Sulfatis Chinini** grammata quinque 5
Glycerini cum Tragacantha grammata duo 2

Inde para Pilulas 100, quas Lycopodio conspergas vel Argento foliato involvas.

Singulae Pilulae contineant Sulfatis Chinini milligrammata 50.

+ Pix liquida.

Liquor, sicca destillatione paratus e Ligno, quod praebent Abietinearum aliquot species.

Spisse fluens, obscure fuscus, cum in strata tenuia extenditur, diaphanus, saepe paulum granulosus. Odor empyreumaticus peculiaris et sapor amari-acer, urens.

In aqua desidat; cum eadem conquassatus, colore pallide flavo et reactione manifesto acida eam afficiat.

+ Pix solida.

Residuum quod post continuatam destillationem vel evaporationem ex Pice liquida superest.

Massa resinosa, nigra, subopaca, frigore fragilis, in fractura nitens, manu calefacta ductilis fit. Leviter Picem liquidam redolet, saporis fere expers est.

+ Potio Riveri.

R. **Acidi citrici** grammata quatuor cum decigrammatis novem 4.9
Carbonatis natrici grammata decem 10
Aquae communis grammata centum sexaginta . . 160
Sirupi simplicis grammata viginti quinque . . . 25

Acidum et sirupum in aqua solve, salem adde particulatim, qui cum solutus erit, lagenam obtura.

+ Pulpa Tamarindorum cruda.

Fructus Tamarindi.

Pulpa leguminum quae fert Tamarindus indica L.

Massa lenta, e fusco nigra, cui admixta sunt semina plana, fere quadrangularia, diametro centimetri fere 1, nitida in ambitu, in centro laterum planorum subopaca, et praeterea fasciculi vasorum et fragmenta epicarpii et endocarpii. Sapor valde acidus.

Pulveres.

Omnis materia, in Pulverem redigenda, prius concidatur vel alia ratione comminuatur; dein calore gradum 50um, aut si principia volatilia continet, 30um non superante, exsiccetur, postremo contundatur vel tenuiter conteratur.

Pulvis ita comparatus, paulisper etiam eodem calore siccetur. Ubi refrixerit, in lagenas bene obturatas, ac, si ita necesse erit, a luce defensas, ingeratur.

Subtilitas Pulverum his temperetur cribris:

A. Ad Pulveres grossiores parandos adhibeantur:

Cribra membranacea foraminibus rotundis, quae millimetros 1.5 vel 3, vel 5 pateant. Pulveres per haec cribra collecti inscribantur A 1.5, A 3, A 5.

B. Item ad Pulveres subtiliores:

Cribra ex textura bombycina, foraminibus quadratis, quorum dena (10), vicena (20), tricena (30), quadragena (40) in centimetro.

Pulveres per haec cribra collecti inscribantur B 10, B 20, B 30, B 40.

Ubi subtilitas Pulverum qui littera *B* indicantur, non praescripta est, ea intelligenda est quae infra scripta est:

Cribro B 20 parentur Pulveres

Cubebarum.
Florum Cinae.
Fructus Anisi.
Fructus Foeniculi.

Cribro B 30 parentur Pulveres

Acidorum.
Cantharidum.
Catechu.
Corticis Chinae.
Corticis Cinnamomi.
Corticis Fructus Aurantii.
Gummi arabici.
Lactucarii.

Myrrhae.
Opii.
Radicis Althaeae.
Radicis Gentianae.
Radicis Helenii.
Radicis Liquiritiae.
Radicis Valerianae.
Rhizomatis Calami.
Rhizomatis Filicis.
Rhizomatis Zingiberis.
Sacchari.
Sacchari Lactis.
Salini.
Saponis medicati.
Secalis cornuti.
Seminis Strychni.
Succi Liquiritiae.

Cribro B 40 parentur Pulveres

Foliorum Digitalis.
Foliorum Sennae.
Radicis Ipecacuanhae.
Radicis Jalapae.
Radicis Rhei.
Tragacanthae.
Tuberum Saleb.

Pulvis aërophorus.

R.	**Pulveris Bicarbonatis natrici** partes triginta . . .	30
	Pulveris Acidi tartarici partes viginti septem. . .	27
	Pulveris Sacchari partes quadraginta tres	43

Misce separatim ac prudenter siccatas.

+ Pulvis antacidus.

Pulvis terrestris.

R.	**Carbonatis calcici** partes sexaginta quinque . . .	65
	Carbonatis magnesici partes triginta quinque. . .	35

Misce.

+ Pulvis aromaticus.

R. **Seminis Cardamomi**,
Rhizomatis Zingiberis,
Corticis Cinnamomi, singulorum partes totidem.

In Pulverem (B 30) redige.

Pulvis gummosus.

R. **Pulveris Gummi arabici**,
Pulveris Tragacanthae,
Pulveris Sacchari, singulorum partes totidem.

Misce.

Pulvis Liquiritiae compositus.

R. **Pulveris Foliorum Sennae** 16
Pulveris Radicis Liquiritiae, utriusque partes sedecim 16
Pulveris Fructuum Foeniculi 8
Sulfuris depurati, utriusque partes octo 8
Pulveris Sacchari partes quinquaginta duas . . . 52

Misce.

Pulvis ex flavo viridis.

Pulvis Opii compositus.

Pulvis Doveri.

R **Pulveris Opii** 10
Pulveris Corticis Radicis Ipecacuanhae, utriusque partes decem 10
ulveris Sulfatis kalici partes octoginta 80

Misce.

Quantum in hoc pulvere insit Morphini, hac ratione exploretur: Pulveris grammata 15 cum parvis quantitatibus spiritus fortioris in apparatu depulsorio tamdiu extrahe, donec centimetri cubici 75 defluxerint. Tum spiritum in balneo aquae evaporando expelle, residuo adde hydratis calcici milligrammata 500, et aquae tantum, ut totum pondus fiat grammatum 15.5.

Mixturam per horas non minus quam 12 crebro conquassando maceratam filtra; filtrati grammata 10 cum aetheris centimetris cubicis 5 et benzoli guttis 3 conquassa, deinde in iis solve chloreti ammonici milligrammata 125, leniter conquassans. Hac mixtura etiam atque etiam conquassata, post horas 24 stratum aetheris tolle; iterum conquassa cum aetheris centimetris cubicis 5, iterumque aethere dempto crystalla secreta

collige. Haec aqua ablue donec aqua defluens iam non coloretur, deinde sicca caloris gradu 100° et pondera.

Pondus sit milligrammatum 90 ad 100, id quod in pulvere parti centesimae Morphini 0.9 ad 1 respondet. Quod Morphinum iisdem legibus puritatis satisfaciat, quae Morphino ex Opio parato scriptae sunt.

+ Pyrogallolum.

Acidum pyrogallicum.

Crystalla coloris expertia aut vix colorata, inodora, levissima, amara, quae caloris gradu fere 125° liquescunt, plane volatilia, in spiritu fortiore et in aethere et in aquae fere 2 partibus solubilia.

Solutio aquosa (1 = 10), addita aqua calcis, primum fit pulchre violacea, deinde turbida et ex obscure fusco rubra; addito chloreto ferrico, sanguineum colorem trahit, addito autem nitrate argentico statim nigrescit.

+ Pyrophosphas ferricus cum Citrate ammonico.

R. **Pyrophosphatis natrici** partes quinquaginta quatuor 54

Has solve in

Aquae partibus octingentis 800

Hanc solutionem agitando transfunde in

Solutionis Chloreti ferrici partes sexaginta 60

quas ante decemplici volumine aquae dilueris. Praecipitatum, quod exsistet, ablue, et leni calore solve in

Acidi citrici partibus viginti 20

prius in duplici pondere aquae solutis, postquam solutionem per ammoniam leviter alcalinam reddideris. Liquorem limpidum in balneo aquae evapora, donec remanserint

partes centum viginti 120

Has in stratum tenue extentas sine siccescere calore gradum 50um non superante.

Lamellae e flavo virides, pellucidae, quae calore carbonescunt; cum aquae partibus 10 acidam praebent solutionem, quae ammonia obscuratur, neque tamen praecipitatur, quaeque, addito cyaneto kalico-ferrico, colorem trahit caeruleum, ac deinde, postquam aliquantum acidi hydrochlorici diluti addideris, praecipitatum caeruleum deponet. Eadem, addita solutione hydratis natrici, praecipitatum e rubro fuscum deponit et odorem ammoniae spargit. Liquor filtratus, per acidum nitricum dilutum neutralis factus, addito nitrate argentico, praecipitatum album deponit, quod in acido nitrico fere totum solubile esse oportet.

Pyrophosphatis ferrici cum Citrate ammonico milligrammata 200 in aquae centimetris cubicis 80 et acidi hydrochlorici centimetris cubicis 40 soluta, ad caloris gradum 50um calefacta, admixtis solutionis iodeti kalici (1 = 10) centimetris cubicis 10, ut decolorentur centimetros cubicos thiosulfatis volumetrici 5.0 ad 5.3 requirant, id quod respondet partibus centesimis Ferri 14 ad 14.8.

+ Pyrophosphas natricus.

Crystalla coloris expertia, pellucida, nitida, non fatiscentia, quae in aquae partibus 14 solvuntur, et flammam non fulgentem colore flavo constanti inficiunt.

Solutio aquosa (1 = 20) alcalina est; addito autem nitrate argentico neutralis fit et praecipitatum album deponit, quod in acido nitrico aut totum aut paene totum solvatur.

Solutio aquosa (1 = 20), per acidum hydrochloricum acida facta, chloreto barytico nonnisi leviter turbetur; eadem aqua hydrosulfurata ne turbetur neve coloretur, ne si ammonia quidem supersaturata erit.

Pyrophosphatis natrici grammata 2 et acidi sulfurici diluti centimetri cubici 10 et frustulum zinci, si iisdem conditionibus atque in acido hydrochlorico praescriptum est, in unum coniciuntur, is locus, qui nitrate argentico (1 = 2) imbutus erit, intra quadrantis horae spatium ne coloretur.

Radix Althaeae.

Radix annotina vel radices secundariae quas praebet Althaea officinalis L., cum primum effossae sunt ramulis, fibrillis radicalibus stratisque corticis binis exterioriribus exutae.

Palaris vel teres, decimetrum 1 aut supra longa, centimetros 2 summum crassa, nonnunquam ex longitudine dimidiata, carnosa, extus albida, tenuissime fibrillosa, cicatriculis subfuscis notata, intus alba; in endophloei fractura longifibrosa, in fractura nuclei inaequaliter granulosa. Odor exiguus; sapor fatuus, mucilaginosus.

+ Radix Calumba.

Radices secundariae quas praebet Iateorrhiza Calumba Miers, in discos transversos dissectae.

Disci suborbiculares, centimetros 3 ad 8 lati, centimetrum circiter 1 crassi, flavidi, compacti, fragiles. Cortex extus rugosus, ex griseo fuscus, intus e flavo fuscus; nucleus pallide citrinus, utrimque vulgo inaequaliter depressus, annulo cambiali obscurius tincto a cortice distinctus. In utraque discorum facie

cernuntur 3 vel 4 zonae, quae maxime coloris intensitate inter se differunt, quaeque omnes radiis fuscis et punctatis percurruntur. Sapor peramarus.

+ Radix et Herba Taraxaci recentes.

Partes hypogaeae et epigaeae recentes quas praebet Taraxacum officinale Wigg., ineunte vere ante anthesin collectae. Vulneratae lactescunt. - Radix palaris, decimetros 2 aut plures longa, centimetros 2 summum crassa, simplex vel subramosa, carnosa, extus pallidius vel obscurius fusca, cortice lato, lacteo, extrorsum spongioso, introrsum concentrice zonato; nucleo citrino, poroso, non medulloso; saporis amari, dulciusculi, mucilaginosi. Folia rosulata, decimetros 2 vel plures longa, oblonga vel oblongo-obovata, petiolata, acuta, inaequaliter et acute runcinata, lobis triangularibus, acutis, dentatis; saporis primo dulcis, deinde subamari.

+ Radix Gelsemii.

Partes hypogaeae quas praebet Gelsemium nitidum Mich. Radices et rhizomata variis proportionibus mixta, subcylindrica, plus minus flexuosa, decimetros 2 summum longa, centimetrum 1.5 summum crassa, fuscescentia vel coloris terreni, vulgo in frustula concisa. Nucleus, quae pars eius est maxima, radios ostendit albos et densiores, cum levissime flavescentibus, valde porosis, extus rotundatis alternantes. Nucleus cortice fusco circumdatur idemque in frustis rhizomatis medullam albam includit. Odor nullus, sapor amaricans.

Radix Gentianae.

Radices quas praebet Gentiana lutea L.

Siccatae, quales prostant, sunt simplices vel parce ramosae, nonnunquam sursum in crassitudinem crescentes, aut binae ternaeve cum cormo conjunctae, decimetros 4 vel plures longae, centimetros 3 vel plures crassae, saepe ex longitudine dimidiatae, interdum in segmenta transversa minora divisae, extus flavescentes vel ex subrufo fuscae, per longitudinem grosse et irregulariter rugosae, sursum annulis transversis confertissimis praeditae, tenaces, flexiles, in fractura subspongiosae; plane siccatae fragiles et in fractura asperae; intus ex subfusco rufescentes vel fulvescentes. Cortex tenuis annulo obscuriore a nucleo crasso distinguitur. Amylum vulgo deëst. Radicum diffractarum vel dissectarum odor dulcis, qualis est caricarum; sapor primum dulciusculus, mox peramarus.

Radices quas praebent Gentiana pannonica Scop., G. punctata L. et G. purpurea L. non sunt reiciendae.

+ Radix Helenii.

Radix quam praebet Inula Helenium L.

Palaris, dura, fragilis, decimetrum circiter 1 longa, centimetros circiter 3 crassa, ramis ramulisque orbata, vulgo ex longitudine dimidiata, cum cormo dense annulato coniuncta. Cortex rugosus, griseus vel subfuscus. Facies interna Radicis per longitudinem dissectae, cuius media pars per longitudinem prominet, cinerascens vel fuscescens, nitide punctata. Odor aromaticus, peculiaris; sapor subamarus.

Radix sit iunior, non lignosa.

Radix Ipecacuanhae.

Radices secundariae quas praebet Psychotria Ipecacuanha Müll.

Plerumque simplices, saepe flexuosae, centimetros 15 summum longae, millimetros 5 summum crassae. Cortex latus, durus, annulis distinctus inaequalibus, torosis, incompletis, vulgo confertis, quibus rimae profundae interiectae sunt; extus saturatius vel pallidius ex cinereo fuscus, introrsum ex albo cinereus vel subfuscus, non radiatus; partim a nucleo tenaci, ex subflavescenti albido, lignoso, facile avellitur. Corticis odor, imprimis cum contunditur, mucidus; sapor ingrate amarus; nucleo odor saporque desunt.

Pulveris Corticis grammate 1 et aquae grammatis 50 infusis et filtratis, is liquor iodeto kalico-hydrargyrico fortiter turbetur.

Ad usum cortex nucleo liberetur.

Radix Jalapae.

Radices secundariae quas praebet Exogonium Jalapa Baill.

Subglobosae, piriformes vel oblongae, centimetros vulgo 3 ad 4 crassae, integrae, incisae vel dissectae, durae, in aqua subsidentes. Superficies rugoso-gibbosa, obscure ex cinereo fusca, inter rugas praesertim nigrescens. Tela interior farinosa aut cornea, cinerascens, in qua zonae concentricae obscuriores, nitide punctatae conspiciuntur. Odor peculiaris; sapor primum fatuus, postremo acer.

Pulvis Radicis Jalapae eadem ratione, qua in Resina Jalapae scriptum est, tractatus, partes centesimas Resinae ne minus quam 10 praebeat.

Radix Liquiritiae.

Soboles et radices quas praebet Glycyrrhiza glabra L.

Frusta cylindrica, vulgo simplicia, decimetros 5 ad 10 longa, millimetros 5 ad 25 crassa. Sint compacta, tenacia, ponderosa, extus per longitudinem rugosa, e rubro vel e griseo fusca, vetustiora e griseo flavescentia, in fractura grosse fibrosa, intus obscure flava; in sectione transversa densa, radiata, in sobolibus medulla praedita subobscura, sordide cinerea, saepe angulosa. Odor nullus; sapor pure dulcis.

+ Radix Ratanhiae.

Rami radicis quam praebet Krameria triandra Ruiz et Pav.

Decimetros complures longi, centimetrum 1.5 summum crassi, cylindrici, quorum cortex sexies tanto tenuior quam nucleus; hic autem multo pallidior est, superficiem habet plus minus undulatam, e fusco rubram, quae terendo nitescit; intus coloris est e rubro fusci, in fractura fibrosus. Sapor corticis admodum acerbus, nuclei fere nullus.

Comparentur solum eae Radices quae ex Peruvia vel Bolivia integrae advectae sint.

Pulvis grossus Radicis Ratanhiae cum per 3 horas cum aqua maceratus erit, ea ratione quae inter 1 et 250 intercedit, liquorem praebet post filtrationem ex rubro fuscum, qui chloreto ferrico colorem trahat viridem, et paulo post praecipitatum fuscum deponat.

Radix Rhei.

Radix quam praebet Rheum palmatum L. var. tanguticum Reg. (?); Radix et Cormus quos praebet Rheum officinale Baill. (?)

Segmenta conica, teretia vel complanata, decorticata, centimetros saepe 5 ad 10 longa et 4 ad 7 crassa, dura, ponderosa, interdum plane vel partim perforata, extrinsecus sordide luteola, plerumque pulvere Radicis Rhei conspersa, in fractura inaequalia, granulosa, intus alba et ex aurantiaco vel e fusco-rubro marmorata, prope ambitum figuris ornata orbiculariter radiatis, diametro centimetri 1 summum. Radix Rhei pulverem praebet paene aureum. Cum manducatur inter dentes stridet. Odor aromaticus peculiaris; sapor amaricans, leviter adstringens.

+ Radix Sarsaparillae.

Radices secundariae quas praebent variae species generis Smilax L.

Cylindricae, longissimae, millimetros 6 summum latae, per longitudinem striatae vel sulcatae, extrinsecus modo fuscescentes, e griseo fuscae vel fumigatae, modo e flavo rubrae vel e fusco rubrae, particulis argillaceis adhaerentibus aliquatenus purgatae, fibrillis radicalibus aut infixis aut remotis. Cortex solidus, albus, farinosus vel corneus, zona angustissima fusca separatus a nucleo grosse poroso, flavescenti, qui ipse medullam albam, farinosam includit. Sapor farinosus, submucilaginosus, deinde acer.

Radix Senegae.

Radix quam praebet Polygala Senega L.

Subcylindrica, in basi verrucoso-tuberculata propter caulium fragmenta, ad apicem versus sensim attenuata, decimetros 2 summum longa, millimetros 8 summum crassa, simplex vel parce ramosa, aeque ac rami flexuosi leviter contorta, arcuata, in curvaturae latere interiore carina corticali arguta praedita, in altero latere subannulato-torosa, sulcis transversis interiectis, extus subflavida vel ex cinereo fusca. Cortex fragilis, intus flavescens, non crassior quam millimetrum 1; nucleus pallide flavus vel albidus, excentricus, in latere carinae opposito saepe excisus vel planus; medulla nulla. Amylum non conspicuum. Odor subrancidus; sapor acerrimus.

Radix Valerianae.

Radices secundariae cormo infixae quem praebet Valeriana officinalis L.

Cormus, vulgo foliorum vaginarum reliquiis coronatus, obtuse obconicus, centimetros 2 summum crassus, centimetros 4 summum longus, interdum paucis sobolibus instructus; radices secundariae numerosae decimetrum 1 vulgo longae, millimetros 2 summum crassae, plus minus collapsae, coloris e griseo fusci vel ex subfusco flavidi. Odor peculiaris, gravis; sapor aromaticus, subacer, adiuncta quadam amaritudine.

+ Resina Jalapae.

R. **Radicem Jalapae** in pulverem (B 10) redactam.

Hunc extrahe in apparatu depulsorio cum spiritu fortiore donec resina extracta erit. Spiritus maiorem partem secerne; residuum in balneo aquae fere ad siccitatem resinae evapora et reliquum aqua calida ablue donec haec iam non coloretur, denique assidue agitando calefac donec resina supersit, cum refrixerit, fragilis.

Resina Jalapae sit ex flavo fusca, in fractura nitida, fragilis; facili negotio in pulverem redigi possit.

Resina tota solvitur in spiritu fortiore, itidem in solutione calefacta hydratis natrici, quae refrigerata, acido hydrochlorico abunde addito, leviter turbetur licet, at ne praecipitatum secernat.

Aqua aut glycerinum, cum Resina calefacta, ne coloretur. Chloroformum spiritu liberum si cum Resina conquassaveris, ne plus quam 6 partes centesimae Resinae in eo solvantur.

+ Resina Podophylli.

Podophyllinum.

R. **Rhizomatis Podophylli** in pulverem (B 10) redacti.

In apparatu depulsorio cum spiritu fortiore extrahe donec nihil amplius pulveris in eo solvatur. Spiritus circiter duas tertias partes secerne; liquorem limpidum qui restiterit sensim infunde in quadruplicem quantitatem aquae, assidue agitando. Resinam quae desederit collige, aqua ablue, caute sicca.

Resina Podophylli pulvis est ex subflavo griseus vel paulum subfuscus, levis, odoris peculiaris, saporis peramari. Caloris gradu 100° colorem obscuriorem induit, nec tamen liquescit. In aqua fere non solvitur, sed plane est solubilis in spiritu fortiore itidemque in ammonia, si hanc calefeceris. In aethere partes centesimae Resinae ne minus quam 50 solvantur.

+ Rhizoma Calami.

Rhizoma quod praebet Acorus Calamus L., exeunte autumno collectum, omnibus appendicibus liberatum, neque tamen decorticatum.

Vulgo simplex, fere cylindricum, subcompressum, geniculatum, decimetros 1 ad 2 longum, centimetros 1 ad 2 crassum, e griseo fuscescens vel e rubro flavescens, annulatum; praesertim in parte superiore cicatricibus foliorum vaginarum desectarum triangularibus, statione alternantibus, notatum; in parte autem inferiore radicum decisarum cicatriculis orbicularibus, satis regulariter dispositis, insigne; tenax, sublignosum, in fractura fere planum vel subgranulosum, nequaquam fibrosum; intus albidum vel pallide incarnatum; cortex duplo ad quadruplo angustior est quam nucleus. Odor peculiaris, aromaticus; sapor aromaticus, amarus, subacer.

+ Rhizoma Filicis.

Turiones quos praebet Aspidium Filix mas Sw., sub autumni finem collecti.

Corona foliorum circinatorum et infra eam bases petiolorum nonnullae carnosae foliorum delapsorum, undique paleis involutae, a fibrillis radicalibus maximam partem purgatae, rhizomatis parti extremae anticae insertae.

Paene sphaerici, extus badii. Petiolorum bases angulosae, curvatae, centimetros aliquot longae, centimetrum circiter 1 crassae. In sectione transversa fasciculos vasorum exhibent circiter 8, acute circumscriptos in tela subviridi. Odor exiguus; sapor subdulcis, paulum acerbus, acer.

In fractura turiones colorem subviridem ostendant.

Ad usum paleae et fibrillae radicales omnes amoveantur.

+ Rhizoma Graminis.

Soboles quas praebet Triticum repens L., tempore verno, antequam culmi prodirent, effossae, siccatae et squamis foliaceis radicellisque liberatae.

Longissimae, ramosae (apud mercatores prostant transverse concisae in frustula centimetros 0.5 ad 3 longa), millimetros 1 ad 3 crassae, cum recentes sunt cylindricae, siccando autem fiunt acutangulae et per longitudinem rugosae, nodis late distantibus, glabrae, subnitentes, tenaces, flexiles, extus pallide stramineae, intus albae, fistulosae. Odor nullus, sapor subdulcis.

+ Rhizoma Hydrastis.

Rhizoma cum radicibus secundariis quae praebet Hydrastis canadensis L.

Rhizoma circiter centimetros 4 longum et millimetros vulgo 5 crassum, obliquum, brevi-ramosum, subannulatum, ex longitudine rugosum, extus ex lutescenti griseum, fragile. Fractura ceracea, laete e viridi lutea. Cortex crassiusculus fasciculos ligni circiter 10 angustos, radios medullares latos, medullam amplam amplectitur. Radices secundariae tenues, fragiles, cortice crasso, luteo et nucleo ligneo, paene quadrangulari. Odor exiguus, sapor amarus.

+ Rhizoma Podophylli.

Rhizoma cum radicibus secundariis qaue praebet Podophyllum peltatum L.

Frusta plus minus compresso-cylindrica, centimetros 6 summum longa, centimetrum 1 summum crassa, laevia vel per longitudinem atque etiam quodammodo transverse rugosa, fusca vel coloris terreni. Caulium delapsorum cicatrices depressae non raro deprehenduntur in rhizomatis locis torosis, quae praeterea in parte inferiore radicularum cicatricibus notata sunt. Sectio transversa superficiem praebet albam, corneam, duram, quae nucleo flavescenti vel fuscescenti in partem corticalem et medullarem dividitur. Odor frustulorum, praesertim eorum, quae aqua calida humectaveris, narcoticus; sapor aromaticus, acer.

+ Rhizoma Zingiberis.

Rhizomata secundaria quae praebet Zingiber officinale Rosc.

Segmenta bina vel plura, ex ordine posita, constricto-articulatim seiuncta, coniunctim centimetros 2 ad 10 longa, singula centimetros circiter 2 lata et 1 crassa, iuxta altitudinem compressa, in mediis faciebus planis tamen subconvexa, ad margines declivia, satis compacta, ponderosa, non decorticata nisi forte secundum facies convexas. Partes non degluptae extus cinerascentes vel e flavo fuscescentes, grosse rugosae, annulis distantibus; decorticatae griseae vel albidae, per longitudinem paulum rugosae. Cortex circiter septies tanto angustior quam nucleus; ille in fractura transversa breviuscule fibrosus, hic punctis e flavo rubris notatus. Odor aromaticus; sapor aromaticus, urens.

Rob Juniperi.

R. **Fructuum Juniperi** contusorum partes tres. . . . 3

Has perfunde

Aquae communis fervidae partibus duodecim . . . 12

Per aliquot horas sine requiescere, tum exprime. Liquorem qui desederit cola et in eo solve

Sacchari partem unam 1

In balneo aquae ad spissitudinem mellis evapora.

Rob Sambuci.

R. **Fructus Sambuci** recentes.

Cum parva Aquae communis quantitate per quartam horae partem coque assidue agitando, deinde exprime. Huius succi, cum desederit et colatum erit,

partibus quaternis 4

adde

Sacchari partes singulas 1

Liquorem per vices agitando et despumando fortiter coque donec particula aliqua refrigerando Rob fiat.

Saccharum.

Saccharum ex succo Caulis, quem praebet Saccharum officinarum L. vel ex succo Radicis, quam praebet Beta vulgaris Moq. var. Rapa Dum. paratum et raffinatum.

Eius prostant frusta crystallina vel pulvis crystallinus.

Albissimum, siccum, saporis dulcissimi.

Saccharum in aequo aquae pondere solutum liquorem praebeat limpidum, neutralem, coloris et odoris expertem, ex quo dum requiescit nihil secerni oportet, ne addito quidem aequo volumine spiritus fortioris.

Saccharum Lactis.

Saccharum ex Sero Lactis vaccinae paratum.

Eius prostant cylindri apice conico, vel crusta crassa, vel tesserae ex crystallis compositae albidis, pellucidis, tetraëdroprismaticis, compactis, duris, odoris expertibus, subdulcibus et inter dentes stridentibus.

Sacchari Lactis partes 2 cum aquae fervidae partibus 3 solutionem praebeant limpidam, neutralem. Spiritus diluti centimetri cubici 10 per horae dimidium grammate 1 pulveris macerati, crebro conquassati, postremo filtrati, liquorem praebeant, qui evaporatus ne plus quam 35 milligrammata massae solidae relinquat.

+ Sal carolinum facticium.

R. **Sulfatis kalici** partes duas 2
Chloreti natrici partes duodeviginti 18
Bicarbonatis natrici partes triginta sex 36
Sulfatis natrici exsiccati partes quadraginta quatuor 44

Sales in pulverem redactos commisce, commixtos lenissimo calore exsicca.

Salicylas natricus.

Squamae crystallinae coloris expertes vel paene expertes, quae cum comburuntur residuum album relinquunt, quod per acidum hydrochloricum dilutum effervescit flammamque non fulgentem colore flavo constanti inficit.

Salicylas natricus cum parte aquae minus quam 1 et cum 6 partibus spiritus fortioris solutiones praebet limpidas, neutrales vel leviter acidas.

Solutio aquosa (1 = 10), si cum acido hydrochlorico diluto miscetur, crystalla secernit in aethere solubilia; eandem, si centuplici aquae volumine diluta erit, chloretum ferricum etiamtum colore violaceo inducet.

Salicylas natricus in acido sulfurico solvatur, nec tamen effervescat nec coloretur.

Salicylatis natrici milligrammatis 200 in mixtura 10 centimetrorum cubicorum spiritus fortioris et 5 aquae solutis, is liquor, ubi per acidum nitricum acidus factus erit, addito nitrate barytico vel nitrate argentico, vix opalinus fiat.

Salicylas natricus cum Coffeino.

Pulvis albus, amorphus, qui si caute calefit, sublimatum album crystallinum praebet.

Residuum album quod ex combustione remanserit, per acidum hydrochloricum dilutum effervescit, flammamque non fulgentem colore flavo constanti inficit.

Pulvis cum aquae partibus 2 et spiritus fortioris 23 solutiones praebet neutrales.

Chloroformum ex 200 milligrammatis huius pulveris fere 100 milligrammata Coffeini hauriat.

Solutio aquosa (1 = 20), si per acidum nitricum acida facta erit, praecipitatum crystallinum praebebit et liquorem, qui addito nitrate barytico, item nitrate argentico, nonnisi leviter turbetur sive opalinus fiat.

Cum illo praecipitato crystallino spiritus fortior solutionem praebet, quam si multa aqua dilueris, chloretum ferricum violaceo colore inducet.

+ Salicylas Physostigmini.

Salicylas Eserini.

Crystalla coloris expertia vel pallide flava, quae cum comburuntur nihil relinquunt; cum aquae partibus 150 et cum spiritus fortioris partibus 12 solutiones praebent coloris paene expertes, limpidas, neutrales, quae tempore rubescunt.

Solutioni aquosae chloretum ferricum colorem violaceum inducit; eadem solutione iodii praecipitatur.

Acidum sulfuricum cum Salicylate Physostigmini liquorem praebet coloris expertem, qui deinde flavum trahit colorem. Paululum Salis si in ammonia calefacta solvitur, liquor nascitur e flavo ruber, qui, in balneo aquae evaporatus, residuum

relinquit caeruleum vel ex caeruleo viridem, quod residuum cum spiritu diluto caeruleam praebet solutionem, quae addito acido acetico rubescit et fluorescit.

Doses maximae singulae milligrammatis 1.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 3.

Santoninum.

Crystalla coloris expertia, nitida, quae luce flavescunt, caloris gradu 170° liquescunt, cum comburuntur nihil relinquunt. In aethere aegre, in aqua fere non solubilia sunt. Cum chloroformi partibus 4 et spiritus fortioris fervidi partibus 3, solutiones praebet neutrales. Solutioni in spiritu fortiore factae solutio hydratis natrici colorem rubrum inducit.

Santoninum non acido nitrico, sed acido sulfurico, quamvis tarde, coloratur.

Doses maximae singulae milligrammatum 100.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 300.

Sapo aromaticus.

Balsamum Opodeldoch.

R.	**Saponis medicati** partes quatuordecim	14
	Spiritus diluti partes octoginta	80
	Camphorae partes duas	2
	Olei Rosmarini partem unam	1
	Ammoniae partes tres	3

Saponem et camphoram in spiritu solve, filtra, filtrato adde oleum et ammoniam.

Liquor subflavus.

+ Sapo kalinus.

R. **Solutionis Hydratis kalici** (15 in 100) partes centum 100
Olei Olivarum partes sexaginta quinque 65

Mixtas calefac in balneo aquae donec oleum omne in saponem abierit. Saponem solve in

Aquae partibus centum. 100

Hanc solutionem evapora, assidue agitans, donec supersint

partes centum 100

Sapo, ex subflavo albus, odoris paene expers, mollis, qui in decemplici quantitate aquae solutus, addito chloreto hydrargyrico, praecipitatum album secernat.

Sapo medicatus.

R. **Solutionis Hydratis natrici** (20 in 100) 100
Olei Olivarum, utriusque partes centum. 100

Commixtas calefac in balneo aquae, donec oleum omne in saponem abierit. Mucum sapone gravem misce cum

Aquae partibus trecentis 300

Adde solutionem

Chloreti natrici partium triginta. 30

factam in

Aquae partibus nonaginta. 90

Mixturam coque, crebro agitans, donec sapo omnis secretus erit; hunc, ubi bene refrixerit, fortiter exprime, premendo divide, cum parva aquae quantitate commisce, iterum fortiter exprime, leni calore sicca, in pulverem redige.

Sit pulvis albus, leviter alcalinus, odoris non rancidi, in aqua et in spiritu fortiore solubilis.

Solutio ex 1 parte Saponis in 10 partibus aquae facta, addito chloreto hydrargyrico, praecipitatum pure album secernat.

Secale cornutum.

Sclerotium Fungi epiphytici cui nomen Claviceps purpurea Tul., ex spicis quas praebet Secale cereale L. brevi ante perfectam caryopsidum maturitatem in agris collectum, atque leni calore siccatum.

Subcylindricum, simul fere trigonum vel tetragonum, centimetros 2 ad 5 longum, millimetros 6 summum crassum, vulgo curvatum, extus ex fusco violaceum vel nigricans, nonnunquam rimosum, intus albidum vel subincarnatum, compacte carnosum, fragile, cum siccum est in fractura subcorneum et planum. Odor exiguus, peculiaris; sapor item exiguus, subdulcis, dein subacer.

Servetur bene exsiccatum in lagena diligentissime obturata.

Pulveris parva tantum copia praesto sit, quae identidem renovetur.

Doses maximae singulae grammatis 1.
Doses maximae in singulos dies grammatum 5.

+ Semen Colchici.

Semina plane matura quae fert Colchicum autumnale L.

Subglobosa, millimetros vulgo 2 crassa, strophiolo pallidiore paulum prominenti, durissima, epispermio fusco, minutissime scrobiculato, nucleo pallide griseo. Sapor peramarus.

Semen Lini.

Semina quae fert Linum usitatissimum L.

Oblongo-ovata, millimetros circiter 5 longa, 2 lata, 1 crassa, compressa, utrimque leniter convexa, badia, nitida, cum in aqua emollita sunt, lubrica. Epispermium tenue et tenax includit nucleum album odoris nullius et saporis mitis, oleosi, non rancidi.

+ Semen Myristicae.

Nux moschata.

Nuclei seminum quae fert Myristica fragrans Houtt.

Ovales vel ovati, centimetros circiter 2.5 longi, centimetros fere 2 lati, ex cinereo fusci, vulgo albide pulverulenti, in fractura marmorati. Odor et sapor aromatici.

Nequaquam ab insectis corrosi adhibeantur.

+ Semen Physostigmatis.

Semen Calabar.

Semina quae fert Physostigma venenosum Balf.

Aliquatenus reniformia, paulum compressa, rubiginosa vel intense fusca, centimetros circiter 3 longa, 2 lata, 1 crassa. Epispermium durum, fragile, nitidulum, granuloso-rugosum, per totum marginem longiorem arcuatum hilo notatum canaliculato, opace ex atro brunneo, medio acute carinato, quod annulo prominenti, porphyreo, oblongissime elliptico inclusum est. Cotyledones magnae, albae, durae, carnosae, cum plane siccatae sunt farinosae. Odor nullus; sapor fere qualis est pisorum vel phaseolorum.

+ Semen Sabadillae.

Semina quae fert Schoenocaulon officinale Asa Gray.

Oblongo-lanceolata, millimetros 4 ad 6 longa, 1.5 ad 2 lata, aliquatenus compressa, angulosa, sursum in rostrum angustata, nitida, rugulosa, e fusco atra, intus alba. Odor nullus; sapor acerrime urens.

+ Semen Sinapis.

Semina quae fert Brassica nigra Koch.

Subglobosa, millimetrum circiter 1 crassa, e fusco rubra vel e nigro fusca, subnitida, subtilissime reticulata et scrobiculata, intus e viridi flava. Cum in pulverem redacta et cum aqua contrita sunt, oleum sinapis redolent. Cum manducantur sapor primum est leniter oleaceus, deinde acerrime urens.

Semen Strychni.

Nux vomica.

Semina, quae fert Strychnos Nux vomica L.

Discoidea, centimetros circiter 2.5 lata, millimetros vulgo 3 summum crassa, saepe subflexuosa, pilis mollibus, sericeis, ex griseo flavis, arcte adpressis vestita. Epispermium cum nucleo corneo, albido, arctissime cohaeret. Sapor amarissimus.

Pulvis ex quo Extractum Strychni paratur, quam paucissimos contineat pilos ex epispermio oriundos.

Alter vero pulvis (B 30) praesto sit, ex eo Semine paratus, quod toto epispermio sit exutum et quod partes centesimas alcaloideorum 2.5 contineat.

Quod ut exploretur, pulveris grammata 5 cum spiritu diluto in apparatu depulsorio eo usque subigantur, donec alcaloidea iam nulla solvantur.

Ex liquore apparatus depulsorii ope parato spiritus expellatur, tum in extracto residuo quantum insit alcaloideorum eo modo exploretur, quo in Extracto Strychni praescriptum est.

Quae alcaloidea ita comparata erunt, iisdem legibus puritatis satisfaciant, quae Extracto Strychni constitutae sunt. Pulverem qui minus alcaloideorum contineat, adhiberi non licet. Si cui forte plus inerit, admiscendo Saccharo Lactis ad iustam redigatur proportionem.

Doses maximae singulae milligrammatum 150.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 500.

Sirupi.

Liquores Sirupis parandis quantum fieri potest limpidi sint. In his Saccharum leni calore solvatur, solutioque, nisi aliter praescriptum est, leviter coquatur. Sirupo ita parato, si ita necesse erit, tantum aquae fervidae addatur, ut pondus imperatum efficiatur; tum despumetur, coletur, refrigeratus in lagenas siccas infundatur.

Sirupus Althaeae.

R. **Radicis Althaeae** concisae partes decem 10
Aquae communis partes sexaginta 60
Sacchari partes quinquaginta quinque 55
ad partes 100.

Radicem bene lotam in aqua per horas 12 macera, tum liquorem colatum continuo cum saccharo in sirupum redige.

Sit Sirupus limpidus, coloris subflavescentis, spissiusculus.

Sirupus Aurantiorum.

R. **Corticis Fructus Aurantii** concisi partes viginti quinque 25
Aquae communis partes sexaginta quinque 65
Sacchari partes quinquaginta quinque. 55

ad partes 100.

Corticem aqua infunde, exprime, colaturam limpidam cum saccharo in sirupum redige.

Sit Sirupus limpidus, subfuscus.

+ Sirupus Cinnamomi.

R. **Corticis Cinnamomi** in pulverem (B 10) redacti partes decem 10
Aquae Cinnamomi partes quadraginta 40
Sacchari partes sexaginta. 60

ad partes 100.

Corticem cinnamomi in aqua per horas 24 macera.

Tum filtra et residuum parvis quantitatibus aquae cinnamomi ablue, donec filtrati partes 40 supersint. In his saccharum leni calore in balneo aquae solve.

Sit Sirupus limpidus, coloris e rubro fusci, cinnamomum suaviter redolens.

+ Sirupus Diacodii.

R. **Sirupi Althaeae,**
Sirupi Papaveris, utriusque partes totidem.

Misce.

+ Sirupus Frangulae.

R. **Corticis Frangulae** concisi et contusi partes decem 10
Aquae communis 60
Sacchari, utriusque partes sexaginta 60

ad partes 100.

Corticem aqua infunde et colaturam cum saccharo in Sirupum redige.

Sirupus sit coloris obscure fusci.

Sirupus Iodeti ferrosi.

R. **Ferri pulverati** partes duas 2
Aquae partes octo 8
Iodii partes quatuor et decimam. 4.1
Sirupi simplicis evaporati partes octoginta 80

ad partes 100.

Ferrum cum aqua misce, iodium paulatim adde assidue agitando.

Solutionem subviridem filtra in lagena, quae contineat sirupum, evaporatione partium 90 sirupi simplicis paratum, ita quidem ut tubus infundibuli usque in sirupum descendat.

Quod in filtro resederit, parvis portionibus aquae lavetur, donec id quod in lagena contineatur partium sit 100.

Tunc commisce et Sirupum divide per parvas lagenas, quae ad summum repletae, diligenter obturatae, luci expositae asservandae sunt.

Sirupus subviridis vel aliquatenus subflavus. Iodeti ferrosi contineat partes centesimas circiter 5, quod si ita sit hoc modo exploratur:

Sirupi grammata 5 centimetros cubicos 4.8 ad 5 solutionis chloreti hydrargyrici (2.185 = 100) requirunt ut rubrum gignant praecipitatum, quod deinde agitando non evanescet.

+ Sirupus Ipecacuanhae.

R. **Tincturae Ipecacuanhae** partes quinque 5
Sirupi simplicis partes nonaginta quinque 95

Misce.

+ Sirupus Liquiritiae.

R. **Radicis Liquiritiae** in pulverem (B 10) redacti partes viginti 20
Aquae communis partes centum 100
Ammoniae partes quinque. 5
Sacchari partes sexaginta 60
ad partes 100.

Pulverem in aqua et ammonia per 24 horas macera in vase operto, deinde exprime, colaturam ad dimidium evapora in balneo aquae, tum filtra et liquorem cum saccharo in Sirupum redige.

Sit Sirupus limpidus, fuscus, reactionis neutralis.

+ Sirupus opiatus.

R. **Tincturae Opii** partes quinque. 5
Sirupi simplicis partes nonaginta quinque 95

Misce.

Partes 100 continent principia efficacia partis 0.5 Pulveris Opii.

Sirupus Papaveris.

℞. **Fructuum Papaveris** contusorum partes decem . . 10
Aquae communis 60
Sacchari utriusque partes sexaginta. 60
ad partes 100.

Fructus per horas 2 aqua infunde, liquorem exprimendo et filtrando collectam cum saccharo in sirupum redige.

Sit Sirupus limpidus, subfuscus.

Sirupus Rhei.

℞. **Radicis Rhei** in frustula minuta concisae partes quinque 5
Carbonatis natrici partem unam 1
Aquae communis partes quinquaginta 50
Sacchari partes sexaginta. 60
ad partes 100.

Radicem in aqua, in qua sal solutus sit, per horas 24 macera, interdum agitans, liquorem exprimendo et filtrando paratum cum saccharo in sirupum redige.

Sit Sirupus ex rubro fuscus.

Sirupus Rhoeados.

℞. **Petalorum Rhoeados** recentium partes viginti . . 20
Aquae communis partes triginta quinque. 35
Sacchari partes sexaginta. 60
ad partes 100.

Petala aqua infunde, exprime, in colatura limpida saccharum solve.

Sit Sirupus obscure ruber.

Sirupus Rubi idaei.

℞. **Fructuum Rubi idaei** recentium sine calycibus . . q. v.

Contusos sepone in vase tecto caloris gradu circiter 25°, donec aliquantulum liquoris limpidi cum dimidio suo volumine spiritus fortioris commixtum non turbetur. Exprime succum, calefac ad caloris gradum 80um, loco frigido paulisper asserva, deinde filtra.

Ex

Huius **Succi** partibus quadraginta.	40
Sacchari partibus sexaginta.	60

Sirupum para.

Sit Sirupus odorus, clare ruber.

Sirupus Sennae.

℞. **Foliorum Sennae** concisorum partes decem	10
Aquae communis	60
Sacchari, utriusque partes sexaginta	60

ad partes 100.

Folia aqua infunde, leniter exprime, cola, in liquore limpido saccharum solve.

Sit Sirupus limpidus, obscure fuscus.

Sirupus simplex.

R. **Sacchari** partes sexaginta 60
Aquae partes quadraginta 40
ad partes 100.

In sirupum redige, quem adhuc calidum filtres.

Sit Sirupus coloris expers et limpidissimus.

+ Solutio Acetatis ammonici.

Spiritus Mindereri.

R. **Ammoniae** partes decem 10
His adde
Acidi acetici partes duodecim 12

Liquorem paulisper coque, refrigerato tantum adde ammoniae, ut leviter acidus fiat. Aqua dilue, si opus erit.

Liquor limpidus, coloris expers, leviter acidus, ponderis specifici 1.032 ad 1.034, nec odoris nec saporis empyreumatici; in balneo aquae dum calefit, totus evanescit.

Solutio hydratis natrici admixta odorem excitat ammoniae, acidum autem sulfuricum odorem acidi acetici.

Liquor aqua hydrosulfurata ne turbetur, neve nitrate barytico, neve nitrate argentico, siquidem paululum acidi nitrici addideris.

Solutio Acetatis ammonici partes centesimas Acetatis ammonici fere 15 contineat.

Solutio Acetatis plumbici basici.

Acetum Lithargyri.

R. **Acetatis plumbici** partes triginta 30
Oxydi plumbici semivitrei in pulverem minutissimum redacti partes decem. 10
Aquae partes centum 100

Salem oxydo plumbico admixtum additis aquae partibus 5 in balneo aquae calefac crebro conquassando, donec oxydi plumbici partes non solutae colorem album sive ex subrubro album traxerint. Tum aquae adde partes 95, conquassa, mixturam in vase operto sine subsidere, postremo filtra.

Liquor limpidus aut levissime turbidus, coloris expers, ponderis specifici 1.235 ad 1.240, qui chartam exploratoriam rubram caeruleo colore inficit, addita autem aqua hydrosulfurata praecipitatum nigrum deponit; quodsi chloretum ferricum admiscueris, liquorem rubrum cum praecipitato albo habebis.

Solutionis Acetatis plumbici basici centimetri cubici 10, si per acidum sulfuricum dilutum plumbo liberati erunt, addita ammoniae excedente portione, colorem caeruleum ne trahant.

Solutio Acetatis plumbici basici partes centesimas Plumbi fere 18 contineat.

Solutio Ammoniae spirituosa anisata.

Liquor Ammoniae anisatus.

R. **Spiritus fortioris** partes septuaginta sex 76
Ammoniae liquidae partes viginti. 20
Olei Anisi partes quatuor 4

Misce.

Liquor primum coloris expers, mox subflavus, ponderis specifici 0.868 ad 0.872.

Solutio Arseniitis kalici composita.

Liquor Fowleri.

R.	**Acidi arsenicosi** in pulverem redacti	1
	Carbonatis kalici	1
	Aquae, singulorum partem unam	1

Has misce, mixtas calefac, donec acidum arsenicosum solutum erit. Liquori refrigerato adde

Spiritus Lavandulae partes quatuor	4
Aquae quantum opus est ad efficiendam solutionem partium centum	100

Liquor paene limpidus, alcalinus, oleum lavandulae redolens, qui si per acidum hydrochloricum acidus factus erit, addita aqua hydrosulfurata praecipitatum flavum praebebit.

Solutionis Arseniitis kalici compositae grammata 5, cum 500 milligrammatis bicarbonatis natrici, 20 centimetris cubicis aquae et exigua solutione amyli commixta, iodii volumetrici centimetros cubicos 9.8 ad 10 requirunt, ut caeruleum trahant colorem, id quod respondet 1 parti centesimae Acidi arsenicosi.

Doses maximae singulae milligrammatum 500.

Doses maximae in singulos dies grammatis 1.

Solutio Camphorae spirituosa.

Spiritus Vini camphoratus.

R.	**Camphorae** partes decem	10
	Spiritus diluti partes nonaginta	90

Camphoram in spiritu solve et, si opus est, filtra.

Solutio Chloreti ferrici.

Liquor stypticus.

R.	**Chloreti ferrici** partes tres	3
	Aquae partem unam	1

Salem in aqua solve.

Liquor limpidus, obscure croceus, ponderis specifici 1.441 ad 1.488.

Solutionis Chloreti ferrici gramma 1, centimetris cubicis 50 aquae dilutum, cum excedente portione ammoniae mixtum et filtratum, liquorem praebeat coloris expertem qui, addita aqua hydrosulfurata, ne turbetur neve coloretur; quo evaporato si id quod remanserit excandefit, nihil relinquat. Eiusdem liquoris pars 1, si cum aequo volumine acidi sulfurici caute commixta erit, sulfate ferroso (1 = 3) super infuso, superficies utriusque liquoris contermina ne colorem mutet.

Solutio Chloreti ferrici, decemplici volumine aquae diluta, cyaneto kalico-ferrico ne caerulea fiat neve chloreto barytico turbetur.

Zincum si perfundes mixtura ex 3 centimetris cubicis Solutionis Chloreti ferrici, totidemque acidi hydrochlorici et aquae totidem consistente, gaz emittetur, quod nitratem argenticum (1 = 2) intra quadrantem horae ne coloret.

Solutionis Chloreti ferrici gramma 1.3 centimetris cubicis 100 aquae dilutum, dum coquitur ne turbetur.

Solutio Chloreti ferrici partes centesimas Ferri contineat 14.4 ad 15.5.

Quantum insit Ferri hac ratione explorandum:

Solutionis gramma 1, cum aquae centimetris cubicis 30 et acidi hydrochlorici centimetris cubicis 10 commixtum, accedat ad centimetros cubicos 10 solutionis iodeti kalici (1 = 10) ad

caloris gradum 50um calefactos, ac deinde per thiosulfatem volumetricum decoloretur, id quod efficient centimetri cubici 25.9 ad 27.6.

+ Solutio Chlorii.

Aqua chlorata.

Aquam Gaz Chlorio abluto satura, atque eo liquore lagenas parvas cum epistomiis vitreis statim imple.

Liquor limpidus, coloris e viridi flavescentis, chlorium valde redolens; chartam exploratoriam caeruleam statim decolorat; cum evaporatur nihil relinquit.

Solutionis Chlorii centimetri cubici 10 cum aquae centimetris cubicis 10 et acidi hydrochlorici centimetris cubicis 20 commixti, additis solutionis iodeti kalici (1 = 10) centimetris cubicis 5, ut decolorentur centimetros cubicos thiosulfatis volumetrici ne minus quam 11 requirant, id quod respondet parti centesimae Chlorii 0.39 minimum.

+ Solutio Ferri albuminata.

Solutio albuminatis ferrici dialysata.

R. **Solutionis limpidae Albuminis gallinacei**, in quo 10 partes centesimae albuminis sicci insint, partes mille 1000

Has adde

Solutionis Chloreti ferrici partibus viginti 20

quas prius quadruplici pondere aquae dilueris. Mixturam, interdum agitatam, ubi limpida facta erit, sine dialysari in

duplici suo pondere aquae. Pro aqua adhibita puram bis substitue, vicenis quaternis horis intermissis; dialysatum deinde ad id ponderis redige, ut, 10 partibus centesimis spiritus cinnamomi additis, partes centesimas materiae solidae 5.5 minimum inesse appareat. Quae materies, cum comburitur, tantum cineris relinquat, quantum respondet parti centesimae oxydi ferrici 0.25 in Solutione Ferri albuminata.

Sit liquor limpidus, ex rubro fuscus, reactionis non nisi leviter acidae.

Solutionis Ferri albuminatae centimetris cubicis 2 cum aquae centimetris cubicis 4 commixtis atque una calefactis, addito acidi nitrici centimetro cubico 1, centimetri cubici 2 liquoris filtrati per 1 guttam nitratis argentici tantummodo opalini fiant.

Quantum insit Ferri hac ratione explorandum:

Solutionis grammatis 10 evaporando exsiccatis, residuum excandefiat; cuius cinis in acidi hydrochlorici centimetris cubicis 25 solutus, cum chloratis kalici milligrammatis 50 una calefiat usque eo quoad omne chlorium expulsum erit; deinde cum aquae centimetris cubicis 50 commisceatur, mixturaque ad caloris gradum 50um calefiat. Iam addantur solutionis iodeti kalici (1 = 10) centimetri cubici 5, isque liquor per thiosulfatem volumetricum decoloretur, id quod efficient centimetri cubici non minus quam 3.1.

Solutio Hydratis calcici.

Aqua Calcis.

R. **Oxydi calcici** partem unam 1

Hanc, ubi extincta erit, 20 partibus aquae communis perfunde, conquassa, mixturam in lagena obturata sine subsidere.

Liquorem defunde, residuum iterum cum 300 partibus aquae communis una conquassa.

Mixturam in lagena operta asserva.

Priusquam dispenses, semper conquassa et filtra.

Solutio Hydratis calcici est liquor limpidus, coloris expers, valde alcalinus, qui et dum coquitur et dum aëri exponitur, turbidus fiat.

Solutionis Hydratis calcici centimetri cubici 100 et centimetri cubici 4 acidi volumetrici commixti, chartam exploratoriam caeruleam ne rubefaciant.

Solutio Iodii spirituosa.

Tinctura Iodii.

R. **Iodii** partes octo 8
Spiritus fortioris partes nonaginta duas 92

Iodium in spiritu fortiore solve.

Liquor obscure fuscus, iodium valde redolens, qui evaporatus nihil relinquit.

Solutionis Iodii spirituosae grammata 2, cum iodeti kalici milligrammatis 500 et aquae centimetris cubicis 25 commixta, ut decolorentur requirant centimetros cubicos 12 ad 12.5 thiosulfatis volumetrici.

Solutionis Iodii spirituosae guttae 4, aquae centimetris cubicis 15 et ammoniae centimetris cubicis 5 commixtae, ne intra horae spatium turbentur neve crocum redoleant.

Doses maximae singulae milligrammatum **150**.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum **600**.

+ Solutio Nitroglycerini.

R. **Acidi nitrici** (ponderis specifici 1.46 ad 1.48) centimetros cubicos duos cum dimidio 2.5

His sensim adde

Acidi sulfurici centimetros cubicos duos cum dimidio 2.5

Ubi refrixerit mixtura, guttatim adde

Glycerini gramma unum. 1

Conquassa, at cave ne calor ultra gradum 30um crescat. Tum mixturam in aquae centimetros cubicos 30 effunde, sine subsidere, liquorem supra extantem defunde, Nitroglycerinum quod natum erit, usque eo ablue, donec omne acidum adhaerescens remotum erit, tum horologii operculo vitreo ponderis explorati impone, deinde per chartam bibulam exsicca, postremo in nonagies novies tanto pondere spiritus fortioris solve.

Liquor limpidus, coloris expers, neutralis, in quo, postquam aqua dilutum erit, Nitroglycerinum tamquam liquor oleaceus subsidet, cuius gutta 1, charta bibula absorpta, malleo percussa cum fragore dissolvitur.

Doses maximae singulae milligrammatis 0.25.

Doses maximae in singulos dies milligrammatis 1.

+ Solutio Pyrophosphatis natrico-ferrici.

Solutio Leras.

R. **Solutionis Chloreti ferrici** partes octo. 8

His adde

Aquae partes quingentas 500

Eum liquorem commisce cum

Pyrophosphatis natrici partibus decem et septem . 17

quas ante solveris in

Aquae partibus quingentis. 500

Mixturam sine requiescere donec limpida fiat.

Liquor pallide flavus, limpidus, alcalinus, qui si cum aequo volumine acidi acetici una calefit, praecipitatum album, gelatinosum deponit, quod per sulfohydratem ammonicum nigrescit.

Solutionis Pyrophosphatis natrico-ferrici grammata 25 cum acidi hydrochlorici centimetris cubicis 15 ad caloris gradum 50um calefacta et cum solutionis iodeti kalici ($1 = 10$) centimetris cubicis 5 commixta, ut decolorentur centimetros cubicos thiosulfatis volumetrici 5.1 ad 5.3 requirunt, id quod respondet parti centesimae Ferri 0.114 ad 0.119.

+ Species amarae.

R	**Corticis Fructus Aurantii**	10
	Rhizomatis Calami, utriusque partes decem	10
	Foliorum Trifolii fibrini	20
	Summitatum Absinthii, utriusque partes viginti	20
	Herbae Cardui benedicti, caulibus orbatae, partes quadraginta	40

Concisas misce.

+ Species laxantes.

R.	**Fructuum Anisi**	10
	Fructuum Foeniculi	10
	Tartratis kalici acidi, singulorum partes decem	10
	Foliorum Sennae concisorum partes quadraginta	40
	Florum Sambuci partes triginta	30

Fructus spiritu fortiore conspersos contunde et cum sale commixtos exsicca. Tum adde flores sambuci et folia sennae et permisce omnia.

+ Species pectorales.

℞.	**Petalorum Rhoeados** partes decem	10
	Foliorum Althaeae partes quadraginta	40
	Radicis Althaeae partes triginta	30
	Radicis Liquiritiae partes viginti	20

Concisas misce.

Spiritus aromaticus.

Spiritus carminativus.

℞.	**Herbae Maioranae**	25
	Corticis Cinnamomi	25
	Nucis moschatae	25
	Caryophyllorum, singulorum in pulverem redactorum, partes viginti quinque.	25
	Fructuum Coriandri, in pulverem rudiorem redactorum, partes quinquaginta	50
	Spiritus fortioris partes septingentas quinquaginta	750
	Aquae communis partes octingentas	800

Per 24 horas macera et destilla donec liquores destillati commixti pondus specificum 0.890 ad 0.895 habeant.

+ Spiritus Cinnamomi.

R. **Corticis Cinnamomi**, in pulverem rudiorem redacti, partes ducentas quinquaginta 250
Spiritus fortioris partes sexcentas 600
Aquae communis partes octingentas 800

Per 24 horas macera et destilla donec liquores destillati commixti pondus specificum 0.920 ad 0.925 habeant.

+ Spiritus Citri.

R. **Olei Citri** partem unam 1
Spiritus fortioris partes octoginta quinque. . . . 85
Aquae partes quatuordecim 14

Misce.
Pondus specificum sit 0.870 ad 0.875.

Spiritus Cochleariae.

R. **Herbae Cochleariae recentis** concisae partes quadringentas. 400
Radicis Armoraciae recentis concisae partes centum 100
Spiritus fortioris partes quadringentas 400
Aquae communis partes quingentas 500

Per 24 horas macera et destilla donec liquores destillati commixti pondus specificum 0.920 ad 0.925 habeant.

Spiritus dilutus.

Liquor ex Spiritu fortiore et Aqua consistens, ponderis specifici 0.887 ad 0.892. Ceterum iisdem legibus puritatis satisfaciat atque Spiritus fortior.

Spiritus diluti volumina 100 continent Alcoholis ($C_2 H_6 O$) volumina 71 ad 69.

Spiritus fortior.

Alcohol.

Liquor limpidus, coloris expers, neutralis, facile inflammabilis, ponderis specifici 0.831 ad 0.837, qui flamma caerulea comburitur, totus volatilis; cum aqua, quavis proportione commixtus, limpidam praebet mixturam.

Spiritus fortioris centimetris cubicis 50 et solutionis hydratis natrici centimetro cubico 1 una evaporatis ad centimetros cubicos fere 5, residuum si acido sulfurico diluto supersaturatur ac deinde calefit, odorem ne spargat.

Spiritus fortior per dimidiam partem horae ad caloris gradum 60um cum nitrate argentico et ammonia calefactus, ne turbetur neve coloretur.

Spiritus fortior aqua hydrosulfurata, ammonia, nitrate argentico ne turbetur neve coloretur; quodsi caute in acidum sulfuricum impositum erit, in superficie utriusque liquoris contermina ne fiat stratum coloratum.

Spiritus fortioris centimetris cubicis 2 et chloreti hydrargyrici guttis 10 et centimetris cubicis 4 aquae barytae commixtis, nascatur praecipitatum flavum, quod non evanescet dum liquor conquassatur. Mixtura filtrata, filtratum, addito

sulfohydrate ammonico, ne si calefit quidem coloretur neve turbetur.

Spiritus fortioris volumina 100 continent Alcoholis ($C_2 H_6 O$) volumina 91 ad 89.

+ Spiritus Lavandulae.

R.	**Olei Lavandulae** partem unam	1
	Spiritus diluti partes nonaginta novem	99

Misce.

Pondus specificum sit 0.885 ad 0.890.

+ Spiritus saponatus.

R.	**Saponis kalini**	20
	Spiritus fortioris	20
	Spiritus Lavandulae, singulorum partes viginti . .	20
	Aquae partes quadraginta	40

In liquoribus commixtis saponem solve et post horas 24 filtra.

Sit liquor limpidus, coloris pallide flavi, qui pondere duplici aquae dilutus, addito chloreto hydrargyrico, praecipitatum album secernat.

+ Stigmata Croci.

Crocus.

Stigmata quae fert Crocus sativus L., terna styli apice coniuncta.

Singula tubuloso-infundibuliformia, compressa, subcurvata, centimetros 2 ad 4 longa, deorsum angustata, fere filiformia, pallidiora, sursum in facie interiore fissa, dilatata in latitudinem millimetrorum 3 ad 4, intense e fusco rubra, subnitida, margine superiore crenato-denticulato. Odor aromaticus, gravis; sapor amaricans, aromaticus, subacer.

Caloris gradu 100° siccatus Crocus ne plus quam 12 partibus centesimis ponderis sui deminuatur. Idem cum comburitur ne plus quam 8 partes centesimas cineris relinquat.

+ Styrax liquidum.

Balsamum, e cortice quem praebet Liquidambar orientale Mill. paratum.

Lente fluens glutinosum, e fusco griseum, non pellucidum, odoris aromatici, grati et saporis aromatici, subacris.

Styrax liquidum aqua ponderosius, in aethere, in spiritu fortiore, in benzolo solubile, siquidum detritum vegetabilem, arenam, similia, quae forte inerunt, exceperis.

Styrax liquidum, in balneo aquae calefactum, odorem terebinthinae ne emittat.

Ad usum in balneo aquae, calore gradum 75um non superante calefacto, colando purgetur.

+ Succinum.

Resina fossilis quam exsudavit Pinites succinifer Göpp.

Frustula forma varia, coloris flavi vel e flavo rubri, pellucida vel opaca, fragilia, in fractura conchata nitentia. Succinum corporibus candentibus impositum peculiarem odorem spargit.

Succus Liquiritiae.

Extractum crudum, ex Radice Liquiritiae recenti cum aqua coquendo et evaporando paratum.

Bacilla signata, cylindrica, extus laevia, nigra, opaca vel subnitida, cum recentia vel calefacta sunt subflexilia, sicca autem dura, fragilia, in fractura magno-conchata, nigra, nitidissima, acute marginata, in qua fractura simul bullulae aëreae dispersae conspiciuntur. Odor peculiaris, exiguus; sapor dulcis.

Succus Liquiritiae cum aqua frigida extractus, ne plus quam 25 partes centesimas insolubiles relinquat.

Si Succus Liquiritiae in solutionibus praescribitur, semper eius loco dispensetur Extractum Liquiritiae.

Sulfas aethylicus acidus cum Spiritu.

Elixir acidum Halleri.

R. **Spiritus fortioris** 1
Acidi sulfurici, utriusque partem unam. 1

Has caute misce.

Liquor coloris expers vel paene expers, acidissimus, odoris peculiaris, ponderis specifici 1.190 ad 1.205.

Sit plane volatilis.

Sulfas Atropini.

Crystalla tenuia, nitida, sive pulvis albus granulosus.

Sulfas Atropini calore liquescit, tum dissolvitur, cum interea vapores odoros emittit, deinde sine residuo comburitur. Cum spiritu fortiore et cum aquae parte 0.4 solutiones praebet neutrales.

Solutio aquosa (1 = 50), addito chloreto barytico, praecipitatum album deponit; ammonia autem turbatur, quae turbatio excedente ammoniae copia vel aqua addita tollitur. Chloreto hydrargyrico non praecipitatur.

Sulfatis Atropini milligramma fere 1, si cum acido nitroso-nitrico una evaporatur, residuum relinquit, quod per solutionem hydratis natrici spirituosam colorem trahit primo violaceum, deinde rubrum.

Sulfatis Atropini milligramma fere 1, quod usque eo calefeceris donec nebulae ortae sunt, ac deinde cum acidi sulfurici centimetro cubico 1.5 ita calefeceris ut acidum coloratum sit, postremo cum aquae centimetris cubicis 2 commiscueris, peculiarem sparget odorem, qualis est florum.

Doses maximae singulae milligrammatis 1.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 3.

Sulfas Chinini.

Crystalla nitida, coloris expertia, acubus simillima, amara, quae tota comburuntur, in aquae frigidae partibus fere 750 et in aquae fervidae partibus 30 solubilia.

Aqua cum Sulfate Chinini una conquassata et filtrata, chloreto barytico praecipitatur, et cum aequo volumine aquae chloratae, addita ammoniae excedente portione, mixturam praebet viridem.

In aqua, cui paululum acidi sulfurici diluti admixtum sit, Sulfas Chinini facile solvitur et caeruleo colore fluorescit.

Sulfas Chinini in spiritu fortiore totus sit solubilis, neve coloretur acido sulfurico neve acido nitrico.

Sulfatis Chinini grammata 2 ut plane fatiscant, per horae dimidium caloris gradu 40° ad 50um calefacta, si cum centimetris cubicis aquae 20 per horae dimidium caloris gradu 60° ad 65um calefiant, crebro agitando; cum mixtura refrixerit per 2 horas caloris gradu 15° seposita, sed interea crebro conquassata, deinde filtrata erit, tum huius filtrati centimetri cubici 5, centimetris cubicis 5 ammoniae caloris gradu 15° admixtis, limpidum praebeant liquorem.

Sulfas Chinini si caloris gradu 100° siccatur, ne plus quam 15 partes centesimas ponderis amittat.

Sulfas Chinini partes centesimas 73 ad 74 Chinini continet.

+ Sulfas Cinchonini.

Crystalla dura, nitida, alba, saporis amari; calore liquescunt, et cum comburuntur, nihil relinquunt.

Sulfas Cinchonini in spiritus fortioris partibus 12 solubilis est, in aethere non item; in aqua frigida aegre solvitur, in chloroformo sat facile.

Solutio aquosa saturata praecipitatur chloreto barytico; eadem, addita ammonia, praecipitatum deponit, quod vix solvi cernas, nec in ammoniae excedente portione, nec in aethere. Addito acido sulfurico diluto vix fluorescat, neve si aqua chlorata et ammonia additur, viridescat.

Sulfas Cinchonini, si caloris gradu 100° siccatur, ne plus quam 5 partes centesimas ponderis amittat.

Sulfas cupricus.

Crystalla pellucida, caerulea, in aquae partibus 3.5 solubilia, in spiritu fortiore non item.

Solutio aquosa cum ammoniae excedente portione liquorem limpidum praebet obscure caeruleum, addito autem chloreto barytico praecipitatum album deponit.

Sulfatis cuprici milligrammatis 100 in aqua solutis et per gaz hydrosulfuricum cupro liberatis ac deinde evaporatis, ubi residuum vehementer calefactum erit, ne quid ponderabile remanserit.

Doses maximae singulae milligrammatum 130.
Doses maximae in singulos dies milligrammatum 500.

+ Sulfas Duboisini.

Pulvis subflavus, qui calore liquescit ac deinde dissolvitur, cum interea vapores ingrati odoris emittit. Sine residuo comburitur. Cum spiritu fortiore et cum aquae minus quam parte 1 solutiones praebet leviter acidas.

Solutio aquosa (1 = 50) addito chloreto barytico praecipitatum album deponit; ammonia autem vel chloreto hydrargyrico non praecipitatur.

Sulfatis Duboisini milligramma fere 1, si cum acido nitroso-nitrico una evaporatur, residuum relinquit, quod per solutionem hydratis kalici spirituosam colorem trahit primum violaceum, deinde rubrum.

Sulfatis Duboisini milligramma fere 1, quod eo usque

calefeceris donec nebulae ortae sunt, ac deinde cum acidi sulfurici centimetro cubico 1.5 ita calefeceris ut acidum coloratum sit, postremo cum aquae centimetris cubicis 2 commiscueris, odorem sparget qualis fere est acidi valerianici.

+ Sulfas ferrosus.

Pulvis crystallinus, e viridi subcaeruleus, in aquae partibus 2 solubilis, in spiritu fortiore non item.

Solutio aquosa, addito cyaneto kalico-ferrico, praecipitatum obscure caeruleum, chloreto barytico praecipitatum album deponit. Eadem cum per acidum hydrochloricum acida facta erit, addita aqua hydrosulfurata ne turbetur neve coloretur, nisi forte levissime.

Sulfatis ferrosi grammata 2 et acidi nitrici diluti grammata 3 una calefacta, additis aquae centimetris cubicis 10 et ammoniae excedente portione, cum filtrata erunt, liquorem praebebunt coloris expertem; quo evaporato, ubi residuum vehementius calefactum erit, ne quid ponderabile remanserit.

Sulfatis ferrosi milligrammata 250, in aquae centimetris cubicis 75 et acidi sulfurici diluti 10 soluta, centimetros cubicos 28 ad 28.5 permanganatis volumetrici requirunt, ut rubor persistat.

Sulfas ferrosus exsiccatus.

Pulvis albus sive subgriseus, quem parabis, si Sulfatem ferrosum tarde exsiccabis donec partes centesimae fere 65 remaneant.

In aqua totus aut paene totus solubilis sit; caeterum iisdem legibus puritatis satisfaciat, quae Sulfati ferroso constitutae sunt.

Sulfatis ferrosi exsiccati milligrammata 250 in aquae centimetris cubicis 75 et acidi sulfurici diluti 10 soluta, ut rubefiant, requirunt centimetros cubicos 41.5 minimum permanganatis volumetrici, unde fit ut Sulfatis ferrosi exsiccati partes 100 respondeant partibus 146 Sulfatis ferrosi.

Sulfas kalico-aluminicus.

Alumen.

Crystalla pellucida, coloris expertia, in aquae frigidae partibus 11 et fervidae parte 0.3 solubilia, in spiritu fortiore non item, saporis admodum stringentis.

Solutio aquosa ($1 = 20$), addito chloreto barytico, praecipitatum deponit; solutione autem hydratis natrici praecipitatum praebet, quod, si excedentem portionem solutionis addideris, rursus solvetur, nec tamen ammoniae sparget odorem.

Solutio aquosa ($1 = 20$), addita aqua hydrosulfurata, ne immutetur, cyaneto kalico-ferroso ne turbetur, neve statim caeruleum trahat colorem.

Sulfas kalico-aluminicus exsiccatus.

Alumen ustum.

Pulvis albus, levis, quem parabis, cum Sulfatem kalico-aluminicum sensim exsiccabis, cura habita ne calor ultra gradum 180um escendat, donec partes centesimae fere 60 supersint. Is pulvis, dum calefit, ne liquescat neve plus quam 10 partes centesimas aquae amittat.

In aquae partibus 20, caloris gradu $50°$, ut tarde, ita totus solvatur in liquorem, qui etiamsi refrixerit, limpidus perduret et iisdem porro legibus puritatis satisfaciat, quibus solutio Sulfatis kalico-aluminici ($1 = 20$).

Sulfas kalicus.

Crystalla sive crusta crystallina dura, coloris expertia, aut pulvis ex iisdem paratus, quae flammam non fulgentem colore violaceo constanti inficiunt.

Sulfas kalicus in aquae frigidae partibus 10 solubilis est, facilius etiam in aqua fervida, at in spiritu fortiore non solvitur.

Solutio aquosa (1 = 20) est neutralis; eadem, addito chloreto barytico, praecipitatum album, excedente portione acidi tartarici praecipitatum album crystallinum deponit; at aqua hydrosulfurata, sulfohydrate ammonico, carbonate natrico, nitrate argentico ne turbetur neve coloretur.

Sulfas magnesicus.

Crystalla tenuia, nitida, coloris expertia, saporis ex amaro salsi, quae calore aquam exsudant.

In aquae frigidae parte 1, vel fervidae parte 0.15 solubilia sunt, in spiritu fortiore non item.

Solutio aquosa (1 = 20) neutralis est; eadem addito chloreto barytico praecipitatum album, phosphate natrico cum idonea quantitate chloreti ammonici et ammoniae, praecipitatum album crystallinum deponit. Nitrate argentico nonnisi leviter turbetur.

Solutio aquosa (1 = 20) si cum aequo volumine chloreti ammonici et dimidio volumine ammoniae commiscetur, limpida et coloris expers perduret, etiamsi sulfohydras ammonicus vel carbonas ammonicus addatur.

Aquae barytae centimetri cubici 3 cum Sulfatis magnesici grammate 1 una cocti, odorem ammoniae non spargunt; qui liquor ex hac mixtura filtrando paratus erit, is, excedente portione gaz acidi carbonici subactus iterumque coctus, chartam exploratoriam curcumae ne quo colore inficiat nisi leviter fusco.

Sulfas natricus.

Sal mirabile Glauberi.

Crystalla pellucida, coloris expertia, fatiscentia, quae calore aquam exsudant, flammam non fulgentem colore flavo constanti inficiunt; in aquae frigidae partibus 3 vel fervidae parte 0.6 solvuntur, in spiritu fortiore non item.

Solutio aquosa (1 =20) neutralis est; eadem addito chloreto barytico praecipitatum album deponit; nitrate autem argentico tantummodo opalina fit; aqua hydrosulfurata, sulfohydrate ammonico, carbonate natrico ne turbetur neve coloretur.

+ Sulfas natricus exsiccatus.

Pulvis minutus, albus, ex Sulfate natrico tarde siccando paratus.

Solutio aquosa iisdem legibus puritatis pareat quibus solutio Sulfatis natrici (1 = 20).

Sulfatis natrici exsiccati gramma 1 cum calefit, ne plus quam 50 milligrammatis ponderis deminuatur.

Sulfas zincicus.

Crystalla coloris expertia, saporis metallici acris, quae calore aquam exsudant, in aquae parte 0.6 solvuntur, in spiritu fortiore non item.

Solutio aquosa (1 = 20) addito chloreto barytico praecipitatum album, sulfohydrate ammonico praecipitatum album in acido hydrochlorico solubile deponit. Eadem nitrate argentico ne immutetur; quodsi aliquantulum acidi hydrochlorici addideris, aqua hydrosulfurata ne turbetur neve coloretur.

Aquae barytae centimetri cubici 3 cum Sulfatis zincici grammate 1 una cocti, odorem ammoniae non spargunt; qui liquor ex hac mixtura filtrando paratus erit, is, excedente portione gaz acidi carbonici subactus iterumque coctus, chartam exploratoriam curcumae ne quo colore, nisi leviter fusco inficiat.

Sulfatis zincici gramma 1 cum aquae centimetris cubicis 10 et ammoniae 5 liquorem praebeat limpidum, coloris expertem, quem, addito phosphate natrico, praecipitatum deponere non oportet.

Sulfidum stibicum.

Sulfur auratum Antimonii.

Pulvis minutissimus, colore aurantiaco, odoris expers, qui in ammoniae calefactae partibus 200 paene totus, et in sulfohydrate ammonico totus solvitur.

Cum decemplici volumine aquae conquassatus, liquorem praebeat neutralem, qui chloreto barytico sive nitrate argentico non statim turbatur. Cum solutione acidi tartarici (1 = 20) conquassatus liquorem praebeat, ex quo, cum filtratus erit, aqua hydrosulfurata praecipitatum aut nullum aut exiguum coloris e flavo rubri secernet.

Sulfidi stibici milligrammatis 100 et centimetro acidi nitrici una evaporatis, id quod remanserit timetris cubicis acidi hydrochlorici liquorem pra filtratus et cum aequo volumine chloreti star et calefactus erit, ne turbetur neve coloretu

---

+ Sulfophenylas zincicus.

Crystalla pellucida, coloris et odoris expertia, in aquae partibus 2 et in spiritus fortioris partibus 2 solubilia.

Solutio aquosa (1 = 10) addito chloreto ferrico violaceum trahit colorem; sulfohydrate ammonico autem praecipitatum album, in acido hydrochlorico solubile deponit. Huius solutionis filtratae centimetris cubicis 10, per ammonium sulfuratum zinco liberatis et evaporatis, ubi residuum excandefactum erit, nequid ponderabile remanserit.

Eadem solutio nec acido sulfurico diluto immutetur, nec oxalate ammonico, siquidem excedente portione ammoniae solutioni addideris; chloreto barytico autem non nisi leviter turbetur.

Sulfophenylatis zincici partes 100 cum comburantur, partes Oxydi zincici 14.6 relinquunt.

Sulfur depuratum.

Flores Sulfuris loti.

R. **Sulfuris sublimati** partes centum 100
Ammoniae partes decem. 10
Aquae partes centum 100

Sulfur aquae et ammoniae admisceatur et 24 horis intermissis eluatur, siccetur, per cibrum purgetur.

Pulvis minutus, coloris citrei, qui cum comburitur vix quidquam relinquit, in solutione hydratis natrici calefacta solubilis.

Aqua cum Sulfure depurato una conquassata, ne sit acida, neve, cum evaporatur, quidquam relinquat.

Ammoniae centimetri cubici 10, Sulfuris depurati grammate 1 digesti, ac deinde filtrati, si acido hydrochlorico supersaturantur, ne turbentur, ne addita quidem aqua hydrosulfurata.

+ Sulfur praecipitatum.

Lac Sulfuris.

Pulvis minutissimus, e flavo albus, amorphus, qui cum comburitur nihil relinquit, in solutione hydratis natrici calefacta solubilis.

Sulfur praecipitatum in sulfido carbonico totum solvatur.

Aqua cum Sulfure praecipitato una conquassata, ac deinde filtrata, ne sit acida, neve per nitratem argenticum turbetur, neve, cum evaporatur, quidquam relinquat.

Ammoniae centimetri cubici 10 cum Sulfuris praecipitati grammate 1 digesti ac deinde filtrati, si acido hydrochlorico supersaturantur, ne turbentur, ne addita quidem aqua hydrosulfurata.

+ Summitates Absinthii.

Rami florentes quos fert Artemisia Absinthium L., brevi ante anthesin collecti.

Inflorescentia racemoso-paniculata; anthodia millimetros 3 summum lata, subglobosa, nutantia; flosculi parvi, lutescentes, in receptaculo villoso. Odor aromaticus; sapor amarissimus.

Suppositoria.

Nisi alia compositio praescripta est,

R. **Olei Cacao** partes nonaginta 90
Unguenti simplicis partes decem 10

Hanc rationem pro temperatura et pro medicamento praescripto paululum variare licet. Oleum cacao minute concisum

cum unguento, per quod medicamentum praescriptum diligenter sit distributum, misceatur, eaque massa in formam conorum redigatur.

Singula Suppositoria, nisi aliter praescriptum est, pondus habeant grammatum 4 quae adultis, grammatum 2 quae infantibus parantur.

Tannas Chinini.

Pulvis ex flavo albus, paululum amarus, liquabilis, qui cum comburitur fere nihil relinquit, in aqua frigida aegre solvitur, at optime in aqua calida et in spiritu fortiore calido.

Aqua cum Tannate Chinini una conquassata, addito chloreto ferrico colorem trahit ex caeruleo viridem.

Tannatis Chinini gramma 1 et aquae centimetri cubici 8 et solutionis hydratis natrici centimetri cubici 2.5 si in balneo aquae una calefacta ac deinde refrigerata et cum chloroformi centimetris cubicis 20 una conquassata erunt, huius chloroformi centimetri cubici 10, si evaporati et caloris gradu 100° siccati erunt, residuum relinquant pellucidum, coloris paene expertem, quod pondus habeat milligrammatum 100 minimum. Huius residui parva copia cum aqua chlorata solutionem praebeat, quae, addita excedente portione ammoniae, colore smaragdino inficitur.

Tannas Chinini continet Chinini partes centesimas circiter 20.

Tanninum.

Acidum tannicum.

Squamulae leves, nitidae, sive pulvis ex subflavo albus, saporis admodum stringentis.

Tanninum calore liquescit et cum comburitur non nisi exiguum cineris relinquit. Solutiones in aquae parte 1 et in spiritus fortioris parte 0.6 factae liquores exhibent leviter coloratos, reactionis acidae, qui si quintuplici volumine aquae diluentur, limpidi permanent. Tanninum in 6 partibus glycerini solubile est, in chloroformo non item.

Solutio aquosa (1 = 30), addito chloreto ferrico, praecipitatum ex caeruleo nigrum, tartrate autem kalico-stibico praecipitatum album deponit; ammonia ne quo colore nisi e flavo rubro tinguatur.

Solutio in spiritu fortiore (1 = 3), admixto aequo volumine aetheris, ne statim turbetur.

✝ Tartarus boraxatus.

R **Biboratis natrici** partes duas. 2
Tartratis kalici acidi partes quinque. 5
Aquae partes quindecim 15

Sales contritos leni calore in aqua solve, liquorem limpidum usque eo evapora, donec id remaneat, quod refrigescendo friabile fiat. Hoc in pulverem redige, per horas aliquot caloris gradu 50° subige, adhuc calidum in lagenam bene claudendam inmitte.

Pulvis albus, hygroscopicus, reactionis acidae, in aequo pondere aquae solubilis. Dum calefit, odorem spargit peculiarem, in magnum intumescit atque carbonem relinquit, qui si cum aqua conquassabitur, alcalinum praebebit liquorem, qui, cum per acidum hydrochloricum acidus factus erit, in

charta exploratoria curcumae maculam relinquet coloris dum siccescet e fusco rubri.

Solutio aquosa Tartara boraxati (1 = 10), addita acidi tartarici excedente portione, mox praecipitatum album crystallinum deponet.

Solutio aquosa Tartari boraxati (1 = 10) sulfohydrate ammonico ne turbetur neve coloretur; quodsi per acidum nitricum acida facta ac deinde calefacta erit, aut nitrate barytico aut nitrate argentico ne statim turbetur.

Tartras kalico-natricus.

Sal Seignetti.

Crystalla pellucida, coloris expertia, quae calore liquescunt, et cum comburuntur carbonem relinquunt, cum interea peculiarem spargunt odorem; is autem carbo si cum aqua una conquassatur, alcalinum praebet liquorem.

Sal in aquae parte 1.7 solubilis sit.

Solutio aquosa (1 = 10) neutralis est vel leviter alcalina; addito acido acetico praecipitatum album crystallinum deponit. Eadem sulfohydrate ammonico ne turbetur neve coloretur; quodsi per acidum nitricum acida facta ac deinde calefacta erit, aut nitrate barytico aut nitrate argentico ne statim turbetur.

Tartras kalico-stibicus.

Tartarus emeticus.

Pulvis crystallinus, albus, gravis, calore carbonescens, in aquae frigidae partibus 17 solubilis, in spiritu fortiore non item.

Solutio aquosa saturata est acida, eademque si cum quincuplici volumine aquae et exiguo acido tartarico et acidi nitrici

guttis aliquot commixta erit, addita aqua hydrosulfurata praecipitatum rubore aurantiaco deponit; nitrate barytico autem aut nitrate argentico ne statim turbetur.

Solutio 1 grammatis Salis in 4 centimetris cubicis acidi hydrochlorici facta, addito aequo volumine chloreti stannosi, calore ne coloretur neve turbetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 200.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 500.

Tartras kalicus acidus.

Cremor Tartari depuratus.

Pulvis albus, crystallinus, reactionis acidae, qui dum calefit peculiarem spargit odorem et cum comburitur relinquit carbonem, qui aquam reactione alcalina afficit, et flammae non fulgenti colorem violaceum constantem inducit.

Tartras kalicus acidus in aqua frigida aegre solvitur, facilius autem in aqua fervida.

Idem cum ammonia solutionem praebeat, quam non oportet colorari sulfohydrate ammonico, nec statim turbari oxalate ammonico.

Aquae centimetris cubicis 10 et Tartratis kalici acidi grammatis 5 una conquassatis et filtratis, filtratum, si paululum acidi nitrici et nitratis barytici addideris, limpidum perduret. Idem filtratum, ubi acido nitrico acidum factum erit, addito nitrate argentico tantummodo opalinum fiat.

+ Tela.

Textura e Gossypio confecta, quae prostat nomine „Mull" vel „Hydrophilgaas".

Coloris et odoris expers, aquam celeriter absorbet atque in ea subsidit.

Grammata 100 aequant circiter 3 metros quadratos.

+ Tela cum Chloreto hydrargyrico.

R. **Telae** partes trecentas septuaginta novem 379

Has consperge solutione ex

Chloreti hydrargyrici partis unius 1

Paraffini liquidi partium viginti 20

facta in

Aetheris partibus ducentis 200

Tum Telam leniter comprime in lagenam in eaque asserva, donec aequaliter imbuta erit.

Tela ita comparata, aethere evaporato, pondus habeat

partium quadringentarum 400

Partes 100 contineant partes centesimas 25 Chloreti hydrargyrici.

+ Tela cum Iodoformo.

R **Telae** partes nonaginta 90

Has consperge solutione

Iodoformi 5

Paraffini liquidi, utriusque partium quinque . . . 5

facta in

Aetheris partibus quinquaginta. 50

Deinde eodem modo tracta atque Telam cum Chloreto hydrargyrico.

Aethere evaporato Tela pondus habeat

partium centum. 100

Partes 100 contineant partes 5 Iodoformi.

+ Tela cum Phenolo.

Tela antiseptica.

R. **Cerae flavae** 9

Colophonii 9

Olei Olivarum, singulorum partes novem. 9

Paraffini partes septem. 7

Leni calore in patina porcellanea una liquatis adde

Phenoli partes duas 2

In hanc mixturam merge

Telae partes sexaginta quatuor. 64

Deinde patinam in balneo aquae calefac, telamque submergere perge, donec omnia aequaliter absorbta erunt. Tum Telam extende et cum refrixerit continuo in lagenas ingere.

Partes 100 contineant Phenoli partes 2.

+ Terebinthina.

Succus resinosus eliquatus ex trunco vulnerato quem praebet Larix decidua Mill.

Lentus, valde glutinosus, diaphanus, flavidus, odoris ut peculiaris, ita non ingrati, saporis amari.

Hoc balsamum, Terebinthina veneta quam vocant, in spiritu fortiore solubile est.

+ Thymolum.

Acidum thymicum.

Crystalla pellucida, coloris expertia, odoris peculiaris, aqua graviora, at cum aqua ad caloris gradum 50um calefacta liquorem exhibent qui aquae supernatat. Thymolum in balneo aquae calefactum totum evanescat.

Thymolum in spiritus fortioris fere 1 parte et in chloroformo et in aethere facile solvitur, aegerrime autem in aqua. Porro solubile est in liquoribus alcalinis dilutis, et in oleis pinguibus et volatilibus.

Thymoli milligrammata 5, additis guttis 5 acidi sulfurici et gutta 1 acidi nitrici, mixturam rubram praebent, quae guttas ex caeruleo virides suspensas habet.

Aqua et Thymolum una conquassata neutralem praebent liquorem, quem addito chloreto ferrico colorari non oportet.

Tincturae.

Substantiae, ex quibus Tincturae parentur, antea, si opus est, concidantur aut in pulverem grossiorem vel subtiliorem redigantur, ut in singulis Tincturis indicabitur; deinde in lagenis bene obturatis spiritu loco opaco saepius conquassando per 8 dies macerentur. Quo facto, liquor spirituosus coletur, et residuum ubi necesse erit exprimatur.

Tincturae ita paratae, postquam desederint, filtrentur, qua in re cavendum est ne spiritus evaporetur.

Tincturae sint limpidae et redoleant et sapiant substantias ex quibus paratae sunt.

Serventur in lagenis bene obturatis loco frigido, a sole prohibitis.

+ Tinctura Acetatis ferrici aetherea.

R. **Solutionis Chloreti ferrici** partibus viginti sex . . 26

Has dilue

Aquae partibus centum. 100

Fortiter agitatas adde

Ammoniae partibus quadraginta. 40

quas ante

Aquae partibus octingentis. 800

dilueris, cura habita ut liquor etiam post praecipitationem reactionem alcalinam manifestam praebeat. Praecipitatum iterata decantatione lavatum linteo excipe et aqua perfecte elotum quantum fieri potest exprime.

Massam in frustula comminutam in lagenam immitte et affunde

Acidi acetici partes triginta duas 32

Mixturam interdum conquassa quoad hydras ferricus solutus

erit. Filtra et filtrum tanta aquae quantitate ablue ut totius liquoris pondus sit

partium centum 100

Huic solutioni adde mixturam

Spiritus fortioris partium duodecim 12

Acetatis aethylici partium octo 8

tam lente ut liquor non calefiat.

Liquor limpidus, coloris obscure e rubro fusci, acetatem aethylicum redolens, saporis aciduli stringentis, ponderis specifici 1.048 ad 1.052.

Tinctura Acetatis ferrici aetherea partes centesimas Ferri ne minus quam 3.7 contineat.

Quantum insit Ferri hac ratione explorandum:

Tincturae grammatis 5 cum acidi hydrochlorici centimetris cubicis 20 et aquae centimetris cubicis 25 commixtis, liquori ad caloris gradum 50um calefacto accedant solutionis iodeti kalici (1 = 10) centimetri cubici 10, eaque solutio deinde per thiosulfatem volumetricum decoloretur, id quod efficient centimetri cubici non minus quam 33.2.

Tinctura acida aromatica.

Paranda ex

Corticis Cinnamomi in pulverem (B 10) redacti . . 5

Rhizomatis Zingiberis in pulverem (B 10) redacti, utriusque partes quinque 5

et mixtura

Acidi sulfurici partium decem. 10

et

Spiritus diluti partium nonaginta 90

Tinctura coloris ex subfusco rubri, saporis aromatici acidi, ponderis specifici 0.941 ad 0.946.

+ Tinctura Aloës.

Paranda ex

Aloës in pulverem grossiorem redactae parte una	1
Spiritus diluti partibus quinque.	5

Tinctura coloris perfusci, subviridis, saporis peramari, ponderis specifici 0.942 ad 0.948.

+ Tinctura Aloës composita.

R.	**Tincturae Aloës**.	1
	Tincturae Croci.	1
	Tincturae Myrrhae, singularum partem unam. . .	1

Misce.

Tinctura coloris ex subflavo rubri, saporis amari, ponderis specifici 0.897 ad 0.903.

+ Tinctura Arnicae.

Paranda ex

Florum Arnicae parte una.	1
Spiritus diluti partibus decem.	10

Tinctura coloris ex subfusco flavi, saporis subamari, ponderis specifici 0.892 ad 0.898.

Tinctura Asae foetidae.

Paranda ex

Asae foetidae in pulverem grossiorem redactae parte una 1

Spiritus fortioris partibus quinque. 5

Tinctura coloris ex subfusco flavi, odoris peculiaris, ponderis specifici 0.850 ad 0.858.

+ Tinctura Aurantiorum.

Paranda ex

Corticis Fructus Aurantii minutissime concisi parte una 1

Spiritus diluti partibus quinque 5

Tinctura coloris ex subfusco flavi, ponderis specifici 0.910 ad 0.915.

+ Tinctura Benzoës.

Paranda ex

Benzoës in pulverem grossiorem redactae parte una 1

Spiritus fortioris partibus quinque. 5

Tinctura coloris ex subfusco rubri, ponderis specifici 0.873 ad 0.882; aqua diluta liquorem lacteum praebet reactionis acidae, in quo paulatim resina desidit.

Tinctura Cantharidum.

Paranda ex

Cantharidum in pulverem (B 10) redactorum parte una 1

Spiritus fortioris partibus decem. 10

Tinctura coloris ex subviridi flavi, ponderis specifici 0.832 ad 0.839.

Doses maximae singulae milligrammatum 500.

Doses maximae in singulos dies grammatis 1.5.

+ Tinctura Castorei.

Paranda ex

Castorei in pulverem grossiorem redacti parte una 1

Spiritus fortioris partibus decem 10

Tinctura coloris ex subfusco rubri, ponderis specifici 0.846 ad 0.856.

+ Tinctura Catechu.

Paranda ex

Catechu in pulverem grossiorem redacti parte una 1

Spiritus diluti partibus quinque 5

Tinctura coloris obscure fusci, saporis valde adstringentis, reactionis acidae, ponderis specifici 0.932 ad 0.938.

Tinctura Chinae.

Paranda ex

Pulveris Corticis Chinae parte una	1
Spiritus diluti partibus quinque	5

Tinctura coloris ex subfusco rubri, saporis peramari, ponderis specifici 0.912 ad 0.918.

+ Tinctura Chinae composita.

Tinctura composita Whytii.

R. **Tincturae Chinae**	1
Tincturae Aurantiorum	1
Tincturae Gentianae, singularum partem unam . .	1

Misce.

Tinctura coloris ex subfusco rubri, saporis aromatici amari, ponderis specifici 0.910 ad 0.918.

+ Tinctura Cinnamomi.

Paranda ex

Corticis Cinnamomi in pulverem (B 10) redacti parte una	1
Spiritus diluti partibus quinque.	5

Tinctura coloris ex subfusco rubri, ponderis specifici 0.895 ad 0.900.

+ Tinctura Colchici.

Paranda ex

Seminis Colchici contusi parte una	1
Spiritus diluti partibus decem.	10

Tinctura coloris pallide flavi, saporis amari, ponderis specifici 0.890 ad 0.898.

Doses maximae singulae grammatum 2.

Doses maximae in singulos dies grammatum 6.

+ Tinctura Croci.

Paranda ex

Stigmatum Croci minutissime concisorum parte una	1
Spiritus diluti partibus decem.	10

Tinctura coloris intense ex flavo rubri, ponderis specifici 0.900 ad 0.908.

Tinctura Digitalis.

Paranda ex

Foliorum Digitalis minutissime concisorum parte una	1
Spiritus diluti partibus decem.	10

Tinctura coloris ex subfusco viridis, saporis amari, ponderis specifici 0.893 ad 0.903.

Doses maximae singulae grammatis 1.5.

Doses maximae in singulos dies grammatum 5.

+ Tinctura Eucalypti.

Paranda ex

Foliorum Eucalypti minutissime concisorum parte una 1
Spiritus diluti partibus quinque 5

Tinctura coloris ex subfusco viridis, ponderis specifici 0.847 ad 0.853.

Tinctura Ferri cydoniata.

R. **Succi Fructuum Cydoniae recentium** partes mille. 1000
Ferri pulverati partes viginti. 20

Per dies 14 digere crebro agitans, cola et evapora donec supersint

partes quingentae 500

quibus admisce

Spiritus Cinnamomi partes triginta. 30

Liquor ex nigro fuscus, saporis ferruginei mitis.

Tinctura partem centesimam Ferri ne minus quam 1.2 contineat, id quod hac ratione explorandum:

Tincturae grammatis 5 evaporando exsiccatis, residuum excandefiat, cuius cinis in acidi hydrochlorici centimetris cubicis 15 solutus, eodem porro modo subigatur atque in Solutione Ferri albuminata praescriptum est.

Liquor ut decoloretur centimetros cubicos thiosulfatis volumetrici ne minus quam 10.7 requirat.

+ Tinctura Gallarum.

Paranda ex

Gallarum in pulverem (B 10) redactarum parte una. . . 1

Spiritus diluti partibus quinque. 5

Tinctura coloris e flavo fusci, saporis valde adstringentis, reactionis acidae, ponderis specifici 0.943 ad 0.950.

+ Tinctura Gelsemii.

Paranda ex

Radicis Gelsemii in pulverem (B 10) redactae parte una 1

Spiritus diluti partibus decem. 10

Tinctura coloris ex subfusco flavi, saporis peramari, ponderis specifici 0.889 ad 0.895.

Doses maximae singulae milligrammatum 250.

Doses maximae in singulos dies grammatis 1.

+ Tinctura Gentianae.

Paranda ex

Radicis Gentianae in pulverem (B 10) redactae parte una 1

Spiritus diluti partibus quinque. 5

Tinctura coloris ex subfusco et flavo rubri, saporis peramari, ponderis specifici 0.910 ad 0.920.

Tinctura Ipecacuanhae.

Paranda ex

Corticis Radicis Ipecacuanhae in pulverem (B 10) redacti parte una 1

Spiritus diluti partibus decem 10

Tinctura coloris ex rubicundo et subfusco flavi, saporis subamari, ponderis specifici 0.889 ad 0.896.

+ Tinctura Lobeliae.

Paranda ex

Herbae Lobeliae minutissime concisae parte una. 1

Spiritus diluti partibus decem 10

Tinctura coloris ex subfusco viridis, ponderis specifici 0.888 ad 0.896.

Doses maximae singulae grammatum 3.

Doses maximae in singulos dies grammatum 10.

Tinctura Moschi.

Paranda ex

Moschi partibus duabus 2

Spiritus diluti 50

Aquae, utriusque partibus quinquaginta 50

Tinctura coloris fusci, odoris penetrantis, qualis est Moschi.

Tinctura Myrrhae.

Paranda ex

Myrrhae in pulverem (B 10) redactae parte una . .	1
Spiritus fortioris partibus quinque	5

Tinctura coloris ex subrubro flavi, quae aqua diluta lactea fit, ponderis specifici 0.845 ad 0.851.

Tinctura nervina Bestucheffii.

R.	**Solutionis Chloreti ferrici** partes decem	10
	Spiritus fortioris partes sexaginta	60
	Aetheris partes triginta	30

Mixtas in lagenis bene obturatis soli oppone, donec liquor coloris expers factus erit.

Tum lagenas loco obscuro depone, easque interdum aperi, donec Tinctura colorem aureum traxerit.

Liquor coloris clare aurei, odoris aetherei, saporis acris ferruginei, ponderis specifici 0.842 ad 0.846.

Tinctura nervina Bestucheffii partes centesimas Ferri 1.45 ad 1.55 contineat.

Ut exploretur quantum insit Ferri, Tincturae grammatis 5 ad dimidium evaporatis, id quod remanserit cum acidi hydrochlorici centimetris cubicis 10 et chloratis kalici milligrammatis 50 commixtum usque eo calefiet, donec omne chlorium expulsum erit. Tum additis aquae centimetris cubicis 30, liquor ad caloris gradum 50um calefactus cum solutionis iodeti kalici ($1 = 10$) centimetris cubicis 5 commisceatur ac deinde per thiosulfatem volumetricum decoloretur, id quod efficient centimetri cubici 13.0 ad 13.8.

Tinctura Opii.

Paranda ex

Pulveris Opii partibus decem	10
Spiritus diluti partibus quinquaginta	50
Aquae partibus quadraginta quinque	45

Tinctura coloris ex subrubro fusci, saporis amari, ponderis specifici 0.975 ad 0.977.

Tincturae partes 100 continent substantias solubiles partium 10 Pulveris Opii.

Quantum insit Morphini hoc modo explorandum:

Tincturae grammata 15 in balneo aquae evapora ad grammata 5, iisque admisce hydratis calcici milligrammata 500 et aquae communis grammata 10, ita ut totum pondus fiat grammatum 15.5.

Hanc mixturam eodem modo subige atque in Pulvere Opii composito praescriptum est.

Quot crystalla secreta erunt, pondus habeant milligrammatum 90 ad 100, id quod respondet parti centesimae 0.9 ad 1 Morphini in tinctura. Iisdem legibus puritatis satisfaciant quae Mocphino, quod ex Opio paratur, constitutae sunt.

Doses maximae singulae grammatis 1.
Doses maximae in singulos dies grammatum 4.

+ Tinctura Quassiae.

Paranda ex

Ligni Quassiae concisi et contusi parte una . . .	1
Spiritus diluti partibus quinque.	5

Tinctura coloris clare ex subfusco flavi, saporis peramari, ponderis specifici 0.887 ad 0.895.

+ Tinctura Ratanhiae.

Paranda ex

Radicis Ratanhiae in pulverem (A 5) redactae parte una 1
Spiritus diluti partibus quinque 5

Tinctura coloris obscure ex fusco rubri, saporis adstringentis, ponderis specifici 0.906 ad 0.914.

+ Tinctura Rhei aquosa.

Infusum Rhei aquosum.

R **Extracti Rhei** 5
Carbonatis natrici, utriusque partes quinque . . . 5
Aquae partes sexaginta 60
Aquae Cinnamomi partes triginta 30

Extractum et salem solve in aqua, post biduum filtra et filtratum misce cum aqua cinnamomi.

Liquor limpidus, ex rubro fuscus.

Tinctura Secalis cornuti.

Paranda ex

Secalis cornuti in pulverem (B 10) redacta parte una 1
Spiritus diluti partibus quinque 5

Tinctura coloris pallide rubri vineatici, ponderis specifici 0.892 ad 0.898.

Tinctura Strychni.

Tinctura Nucis vomicae.

R. **Extracti Strychni** partem unam 1

Hanc solve in

Spiritus diluti partibus nonaginta novem 99

tum filtra.

Tinctura coloris subflavi, saporis peramari, ponderis specifici 0.888 ad 0.893.

Huius Tincturae grammata 100 post evaporationem relinquant Extracti sicci gramma 1; hoc autem si eodem modo atque in Extracto Strychni praescriptum est exploratur, alcaloideorum milligrammata 150 praebeat.

Doses maximae singulae grammatum 2.5.

Doses maximae in singulos dies grammatum 10.

+ Tinctura Succini.

Paranda ex

Succini in pulverem (B 30) redacti parte una . . . 1

Spiritus fortioris partibus quinque 5

Tinctura coloris pallide flavi, ponderis specifici 0,833 ad 0.841.

Tinctura Valerianae.

Paranda ex

Radicis Valerianae in pulverem (A 15) redactae parte una 1

Spiritus diluti partibus quinque. 5

Tinctura coloris ex subrubro fusci, ponderis specifici 0.902 ad 0.908.

+ Tragacantha.

Mucus quem praebet Astragalus adscendens Boiss. et Hausskn. aliaeque eiusdem generis species, ex trunculis vulneratis eliqatus et in aëre induratus.

Laminae et striae taeniatae vel falciformes, albae, millimetros 3 summum crassae neque minus quam centimetrum 0.5 latae, diaphanae, undulatim striatae, leves, tenaces. Aqua perfusae valde intumescunt. Odor nullus; sapor fatuus.

+ Trisulfuretum kalicum.

Hepar Sulfuris.

R. **Sulfuris depurati** partes quatuor. 4

Carbonatis kalici partes septem 7

Has misce, mixtas liquefac et in crucibulo operto leni calore liquidas conserva, donec iam non effervescant: tunc effunde.

Trisulfuretum kalicum gaz acidum hydrosulfuricum redolet; dum recens, subfuscus est, mox autem superficies eius colorem olivaceum trahit. Cum aquae partibus 2 limpidum praebet liquorem, qui si acido acetico supersaturatur, gaz acidum hy-

drosulfuricum emittit, multumque secernit sulfuris. Quo sulfure ubi liquorem filtrando liberaveris, acidum tartaricum in eo praecipitatum album crystallinum gignet.

Trisulfuretum kalicum ad usum externum ex carbonate kalico crudo et sulfure sublimato parari licet, dummodo ex 1 parte sulfuris et 2 partibus carbonatis.

+ Trochisci Bicarbonatis natrici.

R. **Pulveris Bicarbonatis natrici** 10
Pulveris Gummi arabici, utriusque grammata decem 10
Pulveris Sacchari grammata octoginta. 80
Aquae quantum opus est.

Misce et in trochiscos 100 redige.

Singuli Trochisci 100 milligrammata Bicarbonatis natrici continebunt.

+ Trochisci Catechu.

R. **Pulveris Catechu** 10
Pulveris Gummi arabici, utriusque grammata decem 10
Pulveris Sacchari grammata octoginta 80
Aquae Rosarum quantum opus erit.

Misce et in trochiscos 100 redige.

Singuli Trochisci milligrammata 100 Catechu continebunt.

+ Trochisci Chloratis kalici.

R. **Chloratis kalici** pulverati 10
Pulveris Gummi arabici, utriusque grammata decem 10
Pulveris Sacchari grammata octoginta 80
Aquae quantum opus erit.

Misce et in trochiscos 100 redige.
Singuli Trochisci milligrammata 100 Chloratis kalici continebunt.

+ Trochisci Chloreti ammonici.

R **Chloreti ammonici** pulverati 10
Pulveris Sacchari 10
Pulveris Radicis Liquiritiae, singulorum grammata decem 10
Pulveris Succi Liquiritiae grammata septuaginta . 70
Aquae quantum opus erit.

Misce et in trochiscos 400 redige.
Singuli Trochisci milligrammata 25 Chloreti ammonici continebunt.

+ Trochisci ferrati.

R. **Pyrophosphatis ferrici cum Citrate ammonico** pulverati grammata decem 10
Pastae Cacao grammata quinquaginta 50
Sacchari grammata quadraginta 40

Pastam cacao cum dimidia parte sacchari leni calore liquefac, eo admisce salem ferricum cum reliqua dimidia parte sacchari contritum; massam adhuc mollem in trochiscos 100 redige.
Singuli Trochisci milligrammata 100 Salis ferrici continebunt.

+ Trochisci Ipecacuanhae.

R.	**Pulveris Corticis Radicis Ipecacuanhae**	1
	Pulveris Tragacanthae, utriusque gramma unum .	1
	Pulveris Sacchari grammata sexaginta octo. . . .	68
	Aquae quantum opus erit.	

Misce et in trochiscos 100 redige.

Singuli Trochisci milligrammata 10 Corticis Radicis Ipecacuanhae continent.

+ Trochisci Santonini.

R.	**Santonini** in pulverem subtilissimum redacti grammata quinque.	5
	Pastae Cacao grammata quinquaginta quinque . .	55
	Sacchari grammata quadraginta	40

Pastam cacao cum dimidia parte sacchari leni calore liquefac, eo admisce santoninum, cum reliqua dimidia parte sacchari diligenter contritum; massam adhuc mollem in trochiscos 100 redige.

Singuli Trochisci milligrammata 50 Santonini continebunt.

Tubera Saleb.

Tubera quae praebent Orchis militaris L. aliaeque species ex tribu Ophrydearum, statim post anthesin collecta, mundata, in aquam fervidum immersa et in aëre siccata.

Subglobosa, ovata vel oblonga, centimetros 1 ad 3 longa, centimetros 1 ad 2 crassa, durissima, in apice cicatricata, superficie plerumque paulum aspera, ex subfusco grisea vel subflavida, intus cornea. Odor nullus; sapor fatuus.

Unguenta.

Ad Unguenta paranda Cera, Resina aliaeque substantiae liquabiles, in balneo aquae liquefactae, cum substantiis reliquis tam diligenter misceantur, ut massam aequalem efficiant.

Unguenta rancida adhiberi non licet.

+ Unguentum Acetatis plumbici basici.

Unguentum nutritum.

Parandum ex

Solutionis Acetatis plumbici basici,
Unguenti simplicis, utriusque partibus totidem.

Unguentum coloris flavi, antequam dispensetur ex tempore parandum.

+ Unguentum Acidi borici.

Parandum ex

Acidi borici in pulverem (B 40) redacti partibus decem 10
Adipis suilli partibus nonaginta. 90

Unguentum album.

+ Unguentum Carbonatis plumbici.

Parandum ex

Carbonatis plumbici partibus viginti. 20

Adipis suilli partibus octoginta. 80

Unguentum albissimum.

+ Unguentum Carbonatis plumbici camphoratum.

Parandum ex

Unguenti Carbonatis plumbici partibus nonaginta, quinque 95

Camphorae, cum pauxillo **Olei Olivarum** contritae, partibus quinque 5

Unguentum albissimum.

+ Unguentum Chloreti hydrargyrico-ammonici.

Unguentum Mercurii praecipitati albi.

Parandum ex

Chloreti hydrargyrico-ammonici partibus decem . 10

Adipis suilli partibus nonaginta. 90

Unguentum album.

+ Unguentum Diachylon Hebrae.

R.	**Emplastri Oxydi plumbici**	50
	Olei Olivarum, utriusque partes quinquaginta	50

Una liquefac, mixtas agita donec refrixerint.
Unguentum paene album, odoris expers.

+ Unguentum Elemi.

R.	**Elemi** partes triginta	30
	Adipis suilli partes quadraginta	40
	Cerae flavae partes decem	10
	Terebinthinae partes viginti	20

Una liquefactas cola et agita donec refrixerint.
Unguentum coloris subflavi.

Unguentum Hydrargyri.

Unguentum neapolitanum.

R.	**Hydrargyri** partes viginti quinque	25
	Adipis suilli partes septuaginta quinque	75

Adipis quintam partem cum portiuncula hydrargyri contere, donec globuli metallici iam nulli conspicui sint; tum eodem modo omne hydrargyrum particulatim admisce, denique postquam globuli hydrargyri plane evanuerint, reliquum etiam adipis.

Unguentum ex subcaeruleo griseum, in quo globuli hydrargyri ne conspiciantur.

+ Unguentum Iodeti kalici.

R. **Iodeti kalici** partes decem 10
Aquae partes octo 8
Unguenti simplicis partes octoginta duas . . . 82

Iodetum kalicum in aqua solutum unguento admisce.
Unguentum flavum, antequam dispensetur ex tempore parandum.

+ Unguentum leniens.

R. **Cerae flavae** partes quinque 5
Cetacei partes decem 10
Olei Olivarum partes sexaginta 60

His liquefactis et propemodum refrigeratis, sedulo agitando admisce

Aquae partes viginti quinque 25
Olei Rosarum guttam unam pro grammatis centenis 1

Unguentum ex subflavo album, molle.

+ Unguentum Mezerei.

Unguentum de Garou.

R. **Corticis Mezerei**, minutim concisi et spiritu insperso contusi, partes centum 100
Spiritus fortioris partes quadringentas 400

Per triduum digere, tum exprime, residuum denuo digere cum

Spiritus fortioris partibus trecentis 300

Iterum exprime et liquores commixtos post filtrationem evaporando in extractum spissum redige.

Huius **Extracti** partes decem 10

misce cum

Unguenti simplicis partibus nonaginta 90

Unguentum ex subflavo fuscum.

+ Unguentum Oxydi cuprici.

Parandum ex

Oxydi cuprici partibus decem 10
Adipis suilli partibus nonaginta. 90

Unguentum nigrum.

+ Unguentum Oxydi hydrargyrici.

Unguentum Mercurii praecipitati rubri.

Unguentum ophthalmicum rubrum.

Parandum ex

Oxydi hydrargyrici partibus quinque. 5
Adipis suilli partibus nonaginta quinque . . . 95

Unguentum ex subflavo rubrum. Saepe renovandum.

+ Unguentum Oxydi hydrargyrici flavi.

Parandum ex

Oxydi hydrargyrici flavi partibus quinque	. . .	5
Vaselini albi partibus nonaginta quinque	. . .	95

Unguentum flavum, antequam dispensetur ex tempore parandum.

+ Unguentum Oxydi zincici.

Parandum ex

Oxydi zincici partibus decem	. . . .	10
Adipis suilli partibus nonaginta	. . . .	90

Unguentum albissimum.

+ Unguentum Picis.

Unguentum basilicum.

R **Olei Olivarum** partes sexaginta	. . . .	60
Cerae flavae partes decem	. . . .	10

Liquefactas admisce

Colophonii	. . . .	15
Picis solidae, utriusque partibus quindecim	.	15

antea liquefactis. Mixtas cola et agita donec refrixerint.
Unguentum fuscum.

Unguentum simplex.

R. **Cerae flavae** partes triginta 30
Olei Olivarum partes septuaginta 70

Una liquefactas agita donec refrixerint.
Unguentum flavum.

+ Unguentum sulfuratum compositum.

Unguentum viennense.

Unguentum ad scabiem.

Parandum ex

Carbonatis kalici partibus decem. 10
Sulfuris sublimati. 15
Picis liquidae, utriusque partibus quindecim . 15
Saponis kalini 30
Adipis suilli, utriusque partibus triginta . . . 30

Unguentum ex cinereo subfuscum.

+ Unguentum Tartratis kalico-stibici.

Unguentum Autenriethii.

Parandum ex

Tartratis kalico-stibici in pulverem subtilissimum redacti, partibus viginti 20
Adipis suilli partibus octoginta. 80

Unguentum album.

+ Unguentum terebinthinaceum.

Balsamum Locatelli.

R. **Olei Olivarum** partes triginta quinque 35
Cerae flavae partes viginti quatuor. 24
Terebinthinae partes triginta quinque. 35

Liquefactis agitando admisce

Ligni santalini per cribrum (B 30) collecti partes tres 3

Digere, cola et adde

Balsami peruviani partes tres 3

Unguentum ex subfusco rubrum.

+ Valerianas zincicus.

Lamellae nitidae, coloris expertes, acidum valerianicum redolentes, in aqua et in spiritu fortiore aegre solubiles; cum ammonia liquorem praebent limpidum, coloris expertem, qui addito sulfohydrate ammonico praecipitatum album deponit.

Valerianas zincicus in acido sulfurico nullo colore solvitur.

Valerianate zincico cum 4 partibus aquae una conquassato et filtrato, is liquor, addito chloreto barytico, tantummodo opalinus fiat.

Valerianatis zincici in exsiccatore siccati milligrammata 500 si in balneo aquae una cum acido nitrico dissolveris, siccaveris, excandefeceris, milligrammata 150 ad 152 Oxydi zincici supersint.

Solutio aquosa et solutio spirituosa calore turbidae fiunt.

Vaselinum album.

Vaselinum.

Vaselinum purius, coloris paene expers, subdiaphanum.

Ceterum iisdem legibus puritatis obtemperet quibus Vaselinum flavum.

Vaselinum flavum.

Massa quae Petroleo crudo subigendo comparatur, in saponem non abiens, purgata.

Mollis, flava; strata eius tenuiora pellucida sunt. Est odoris expers et supra gradum 44um calefacta liquescit.

Cum spiritu fortiore vel aqua calefacta et conquassata his liquoribus reactionem acidam aut alcalinam ne praebeat.

+ Veratrinum.

Pulvis albus, cohaerens, facile liquabilis, qui cum comburitur nihil relinquit; sternutamenta movet vehementissima.

Solvitur in 2 partibus spiritus fortioris, facile in chloroformo, difficilius in aethere.

Veratrinum si in aqua coquitur, concrescit, at parcissime in ea solvitur.

Acido sulfurico perfusum, primum exhibet liquorem viridem fluorescentem, deinde fit rubrum, postremo violaceum.

Doses maximae singulae milligrammatum 5.

Doses maximae in singulos dies milligrammatum 20.

Vina.

Ad paranda Vina medicata adhibeatur Vinum malacense, dulce, ex rubro fuscum, ponderis specifici 1.060 ad 1.075, quod Alcoholis (C_2H_6O) partes 12 ad 16 et Extracti partes 16 ad 20 in partibus centenis contineat.

Ad paranda Vina eaedem valent regulae quae in parandis Tincturis praescriptae sunt, nisi alia parandi ratio indicati est.

Vinum amarum.

R. **Extracti Cascarillae** 1
Extracti Centaurii 1
Extracti Gentianae 1
Extracti Cardui benedicti, singulorum partem unam 1

Solve in

Vini partibus nonaginta 90

Huc admisce

Tincturae Aurantiorum partes sex 6

Sine desidere et filtra.

Vinum obscure fuscum, amarum.

+ Vinum Chinae.

R. **Pulveris Corticis Chinae** partes viginti. 20
Spiritus diluti partes centum 100
Vini partes trecentas sexaginta 360
Sacchari partes trecentas. 300
Aquae quantum satis

ad partes 1000.

Pulverem in apparatu depulsorio percola cum spiritu, deinde

cum vino. In liquore eliquato saccharum solve, perge percolare cum aqua, donec pondus indicatum effeceris. Liquores diligenter commixtos post aliquot dies filtra.

Vinum sit limpidum, coloris pallide ex rubro fusci, ponderis specifici 1.125 ad 1.135, quod corticem chinae redoleat et sapiat et reactionem leviter acidam exhibeat.

Vini centimetrum cubicum 1, cui addideris hydratis natrici guttas 2, si cum centimetris cubicis 2 aetheris conquassaveris, evaporatione aetheris supernatantis separatim facta, residuum remanet quod in gutta 1 acidi hydrochlorici diluti et guttis 20 aquae solutum, addita gutta 1 iodeti kalico-hydrargyrici, praecipitatum gignat album, floccosum.

Vinum Colchici.

Parandum ex

Seminis Colchici pulverati.	1
Spiritus diluti, utriusque parte una.	1
Vini partibus novem	9

Vinum subfuscum, saporis ex dulci amari.

Doses maximae singulae grammatum 2.

Doses maximae in singulos dies grammatum 6.

Vinum Ipecacuanhae.

Parandum ex

Corticis Radicis Ipecacuanhae in pulverem (B 10) redacti.	1
Spiritus diluti, utriusque parte una.	1
Vini partibus novem	9

Vinum subfuscum, dulce, saporis subamari, ingrati.

Vinum Opii aromaticum.

Laudanum liquidum Sydenhami.

R.	**Stigmatum Croci** concisorum partes quatuor . . .	4
„	**Corticis Cinnamomi** in pulverem (B 10) redacti . .	1
	Caryophyllorum in pulverem (B 10) redactorum, utriusque partem unam	1

Macera per dies 4 in

Spiritus diluti partibus decem.	10
Vini partibus nonaginta	90

deinde exprime.

Liquoris expressi partibus nonaginta quinque . .	95

adde

Pulveris Opii partes decem	10

Mixtas saepius conquassando macera per dies 7, cola, deinde exprime, ubi liquor desederit filtra.

Vinum coloris intense fulvi, saporis amari.

